THEMISTII

Peripatetici lucidiſsimi paraphraſis in duodecimum librum Ariſtotelis de prima Philoſophia,

MOSE FINZIO

INTERPRETE.



VENETIIS,

Apud Hieronymum Scotum.

MDLVIII.



AC REVERENDISSIMO
MARIANO SABELLO
EPISCOPO EVGVBINO,
MOSE FINZIVS.
S. P. D.



HEMISTII Paraphrasis in duodecimum librum Aristotelis de prima Philosophia, præsul amplissime, quæ iamdiu à Græcis desideratur, cum Hebraicè nescio quo fato reddita in manus meas peruenisset, non eram nescius operæpretium, & rem omnibus eius scientiæ studiosis pergratam me facturum esse, si eam in latinum sermonem transtulissem; ne libri perdifficilis interpres locupletissimus diutius in tenebris delitesceret. Eam rem cum iam sæpius inchoassem, nondum tamen variis distentus negotiis perficere potueram, cum forte omnem consilij mei rationem exposui. Benedicto Manzolo Mutinensi viro in omnium scientiarum genere exercitatissimo, & mecum summa familiaritate coniuncto. Is me percepta re non solum hortari, sed etiam inflammare, & impellere cœpit, vt susceptum munus absoluerem, neque his contentus, vt quasi stimulum, & calcar adderet, paucis post diebus tuas ad se literas ostendit mihi; quibus institutum meum summopere laudabas, rogabasq; vt cumprimum opus perfectum esset eius tibi videndi potestas fieret. Tunc ego abiecta omni cunctatione, cunctis reiectis negotiis totum animum ad vertendam Paraphrasim appuli. eam enim nactus esse mihi visus sum occasionem, quæ iampridem à me vehementer exoptaretur, vt ita tecum agerem, vt me tibi penitus deditum, & consecratum esse intelligeres. Ea enim de te iampridem audio ab omnibus, præsertim à Benedicto Manzolo, qui te in primis colit, atque obseruat, vt te vnum admirer, te vnum suspiciam: qui ea qua es ætate, nobilissimo genere natus: quod his temporibus rarum admodum est, ne dicam inauditum: in omni literarum genere adeo profeceris, vt eruditorum nobilissimus, nobilium eruditissimus habearis: nec dictu facile sit quantum per te antiquissimæ, ac illustrissimæ familiæ tuæ, in qua viri omni ætate bello paceq; insignes floruere, splendoris ac lucis accesserit, indiesq; magis accedat. Tu homo Romanus Græcè summa cum venustate loqueris, & scribis. Hebraicè, & Chaldaicè optime intelligis. Tu in vniuersa Philosophia, atque Theologia ita versatus es, vt nihil tibi in iis difficile sit ad intelligendum, nihil ad explicandum. Ea vero es suauitate morum præditus, ea vitæ innocentia, atque integritate, vt gloriæ tuæ nemo inuideat; boni omnes te quasi religionis exemplar ad imitandum tibi proponant. Hac igitur famæ tuæ celebri-


tate incredibili in te amore inflammatus Themistij interpretationem à me tandem absolutam tibi dedico, & sacro, non solum vt cuius auspitiis opus ad finem perductum est, eius etiam tectum, atque munitum auctoritate in lucem prodeat (quantam enim sibi apud lectorem gratiam hoc nomine conciliare possit liber intelligo) sed etiam vt meæ huius erga te singularis obseruantiæ monumentum vulgò extet. Quod quidem si quis attentius perlegerit, eum minime inficiaturum esse confido, hanc eam esse Paraphrasim, quam Themistio adscribit, pasimq; citat Auerroes in iis commentariis, quos in. 12. Aristotelis librum de prima Philosophia edidit. Tu autem vnà cum aliis, qui acri ingenio præditi sunt, optime etiam hic perspicies Themistianam illam interpretandi rationem, miramq; in rebus obscuris claritatem. Quamquàm enim auctor de via fessus, ac longa peregrinatione confectas, vestitu immutato, in sordibus, & squallore versatur (à Græcis enim ad Arabas, & inde ad Hebræos migrauit, apud quos circiter tercentum, & tres annos delituit, nunc vero tandem in Latinum peruenit) non adeo tamen eius deleta sunt lineamenta vt Themistium agnoscere non possis. quo quidem, qualiscunque sit, interea perfruantur studiosi dum expectant vt Archetypus à te, vt es omnis antiquitatis solertissimus, & liberalissimus indagator, è Græciæ ruinis, ac tenebris eruatur: nec laborem meum contemnant. nam quemadmodum nobiles illas, & immortales substantias vel leuiter attigisse satius est, quàm pleniori intelligentia cætera assequi, ita Themistium, qui de iis ex Aristotelis præscripto loquitur, non ignorasse melius fore existimo, quàm quosdam alios interpretes summo studio perlegisse. Tu igitur optime Antistes Themistium quem tibi dedico amplectaris, & foueas, meq; in fidem, & clientelam tuam accipias, vt ad alia tibi offerenda alacrior sim. Vale.

Mutinæ. Idibus Martiis.

MDLVIII.

THEMISTII

THEMISTII
PERIPATETICI LVCIDISSIMI
PARAPHRASIS IN DVODECIMVM
LIBRVM ARISTOTELIS
DE PRIMA PHILOSOPHIA,



MOSE FINZIO INTERPRETE.



VANQVAM Ens pluribus modis dicitur: nos tamen dum eius principia inquirere volumus: Subſtantiæ duntaxat principia inueſtigamus. Nam hoc magis ei debetur, quàm cæteris entibus. ſiue enim vniuerſitas ita cohæreat, vt membra cum humano corpore, & partes cum planta: ſiue ex rebus conſtructa ſit, quæ ſe inuicem tangant, vt domus, & nauis: ſiue conſletur ex ſeparatis, & diſperſis: vt ciuitas, & exercitus: princeps omnium ipſius partium ſubſtantia eſt: obtinetq́; eundem in vniuerſo locum, quem obtinet cor in animalium corpore. Sin autem nullo horum modorum fuerit: ſed vnitati ſimilis: quæ in numero prior eſt: deinde duo: deinde tria: aut triangulo, qui reliquas rectilineas antecedit figuras: cum enim ſequitur quadrangulus: hac etiam ſimilitudine ſubſtantia eſt prior: deinde quantitas: tum qualitas, & reliqua. Nam eſſe ſubſtantiæ ſubſequentium eſſe antecedit: vt vnitas cæteros numeros: & triangulus cæteras præcedit figuras. Hoc autem eſt, quoniam non omnia genera vna, & eadem ratione entia dicuntur. Sed inter illa dignior eſt hoc nomine ſubſtantia ipſa. cætera enim eſſe dicimus, propterea quod ſubſtantiæ inſunt; eius nanque aut quantitates ſunt: aut qualitates: aut motus: & ſimilia. ac Entitate participant, quia Subſtantia inhærent. Porrò ſi alia quoque genera dictionibus eſſe ſignificantibus nuncupari videantur, nemo miretur. Nam penitus introſpiciens dictiones illas Subſtantiæ potius aptari comperiet. Cum enim dicimus hoc lignum album eſt: illud eſt, album es, ſe ſignificat: tamen verbum non albedini, ſed ligno adaptatur. pari modo cognata his accommodantur: cum negamus quædam accidentia alicui ineſſe: eò igitur magis cum affirmamus. ſicut enim cum dicimus lignum eſt non album: lignum eſt non rectum: eſt non rectum, & eſt non album, ligno adſcribuntur. ita cum lignum rectum eſt, dicimus, iſtud, eſt, ligno coaptatur. Nam impoſſibile eſt accidentia, vel cogitatione à ſubſtantia ſeparari, eò minus re ipſa: ceu ſubſtantia ab vniuerſitate cæterorum generum ſegregari poteſt: non eò tamen quod ſenſibilis ſubſtantia vllo pacto prorſus accidentibus nudetur. nam ſubſtantia vna, & eadem numero manet, accidentibus iiſdem numero minime manentibus. Quinimmo permutantur: & modò hoc aduentat, modò illud. oriuntur alia, & alia intereunt. huiuſmodi ſunt quantitates, qualitates, paſſiones, loca, ac tempora, hiſq́; generibus finitima, quorum tamen generum

nerum initium, & fundamentum Substantia est. Huius quoque dicti veritatem testantur veteres ipsi. eorum enim, quæ sunt, principia, & elementa quærentes, substantiæ principia indagantur, non qualitatis, quantitatis, & huiusmodi. Ex quo perspicuum fit discrimen inter quæstionem de generibus entium. Quot sint, & quæstionem quot sint initia entium. nam Substantia tantum initia habet, & cuiusque substantiæ initia quæruntur, quatenus est vna numero. Vniuersalia vero in mente existunt ex coniugatione quadam in ea à singularibus: quorum vnumquodq; est sicut aliud: orta. Qui igitur hac ætate sunt: quippe qui sunt in disserendi facultate exercitati: vniuersalia Substantias magis, quàm singularia, ac quasi principia eorum esse ponunt. Nam hominem vniuersalem principium dicunt Socratis, & Platonis: & equum vniuersalem huius, & illius equi. Antiquiores vero magis sensum sectabantur: Philosophia nanque tunc temporis proximè orta fuerat: & singularia digniora substantiæ principia esse putabant, iccirco cum terram, ignem, aut aquam, aut aerem initium substantiæ dicerent: non tamen terram vniuersalem, aut ignem vniuersalem, aut alia vniuersalia elementa esse aiebant eorum, quæ sunt. Sed ne corpus quidem commune huius terræ, huius ignis, huius aquæ, atque huius aeris, elementum esse asseuerabant. Sæpius verò vtranam harum sectarum rectius sentiat disputauimus. an quæ vniuersalia priora, an quæ particularia ponit. Sed eorum opiniones quamuis refutauerimus; nihil tamen prohibet nos de hoc edisserere. Nunc vero iam expressè meminimus, inquirentem principia eorum, quæ sunt necessario principia substantiæ inquirere. Substantię autem sunt tres: quarum duas omnes homines fatentur: quoniam sensibiles, vtpote subiectæ sensui visus. Harum vna est perpetua. substantia nimirum corporum cælestium: alia corruptibilis, & est substantia humi degentium, plantarum inquam & animalium: atque huius elementa in præcedentibus sermonibus summuntur. palàm est autem ex multis constare, ex igne nempe, terra, & cæteris: & ex alijs pręterea, cum simplicioribus, tum numero paucioribus: aut saltem ex vna re tantum, quæ quandoque secernitur, & fit mollis, quandoque verò concrescit, & induratur. atque hæ quidem sunt duæ substantiæ. tertia autem Substantia immobilis est, & sempiterna, omnisq; mutationis expers: neque enim mutatur, vt ea, quæ in terris sunt, plantæ inquam & animalia, quæ ex vniuersa sui natura exeunt, & corrumpuntur: neque mutationem localem subit, quam solam corpora hæc cum cælestibus communem habent. Nam quanuis corpora cælestia varijs temporibus nequeant forma, & spetie sua mutari. attamen non dedecet ea diuersis temporibus diuersos variare locos, & super hoc ædificata est naturæ facultas. Substantia vero quæ immobilis est, & cui non miscetur corpus, immutabilis est omnino. quapropter separari dicitur ą sensibili substantia. atqui certe non loco; nam falsum est dicere loco separari substantiam locum penitus non habentem, & ab extremitatibus corporum non ambitam, quomodo ambiuntur omnia quæ loco continentur: sed à sensibili separatam dicentes quandam inter eas diuersitatem ostendimus. inspicientes enim vnam earum immobilem penitus esse, nec ab alio, nec à se ipsa mutari, postmodum inuenientes omnia, quæ sensibili substantiæ insunt, alio, & alio modo se habere, iure, & merito sequestrandam à sensibili substantia intelligibilem asserimus adeò vt nihil ipsis commune sit, neque quod ad naturam, neque quod ad nouationem vllam pertineat. de hac igitur prima, & immobili substantia hoc sermone tractaturi sumus: & quæ de ea opinati fuerint antiqui, narraturi. Nam alij diuide-

bant

bant eam, alij vnam tantum esse statuebant naturam, diuidentes ponebant & formas, & dimensiones Mathematicas, non solum priores substantias quam sensibiles, sed illas etiam harum initia esse. Dicentes vero intelligibilem substantiam esse vnam. Mathematicas dimensiones ipsas esse substantias ponebant: formasq; reiiciebant. Porrò sensibilis Substantia naturali scientia indiget: non enim ex motu euadit, idque secundum omnes eius partes, altera vero ad aliam scientiam, eamq; nobiliorem quam sit scientia naturalis, spectat: cum nihil sit commune ipsis, aut in generatione, aut in loco, aut in augumento, aut in decremento: nec commune principium habeant à quo producantur. Nam prima nullum habet principium. secundæ vero principium est ipsa substantia prima. Amplius nec eadem cognitione apprehenduntur. altera enim sensibilis est, altera intelligibilis. Rursus immutabilis, immobilisq; substantia, natura prior est mutabili substantia, quæ perinde, atque res labiles, fluit. at quia ea quæ insunt nobis maxima ex parte à sensibili terminantur: ideò prius de ea loqui consueuimus: finitima enim nobis est, & quam simillima nostri: & de ea in ijs, quæ de natura sunt amplissime tradidimus: & declarauimus nullam sensibilem substantiam ex mutatione euadere posse. mutationemq; ex contrarijs fieri: non ex omnibus tamen: sed ex similibus tantum, ac proximis. Nam fit album ex non albo: non tamen ex omni non albo: non enim ex voce: tametsi vox non alba sit: sed ex nigro duntaxat, aut rubro, aut ex eorum aliquo, quod de colorum spetiebus sit. cæterum declarauimus his duobus contrarijs tertium quoddam necessariò subiiciendum esse. non enim sese illa mutuo sustinent. Sed quod vtrisque subiicitur, natura quædam est vnum contrariorum exuens. & alterum suscipiens: ibidemq; quatuor mutationis species numerauimus in hac substantia. prima quidem in definitione rei est, qua scitur quid res sit, vt cum fit homo ex non homine, aqua ex non aqua, & aere: & hanc modo generationẽ, modo corruptionem appellamus. secunda in qualitate: & alteratio nuncupatur. tertia in quantitate, & quandoque augmentatio, quandoque imminutio dicitur. quarta est migratio de loco ad locum, quam translationem nominamus, nec expertia sunt huius transmutationis cælestia corpora. nam & ipsa de loco ad locum mouentur, è contrarijs aliquando ad contraria: inest nanque locis contrarietatis quædam species admodum oppositionis: vt cum à priori ad posteriorem partem mouentur. nullus enim localis motus alio pacto fieri potest, neque in hac mutatione duo contraria sufficiunt: sed in ea, perinde ac in alijs, corpus quoddam subiici vtrisque contrariis oportet, quod quidem ab vno ad alterum moueatur: nisi quod hoc cæleste corpus diuersum habetur à corpore generabili, & corruptibili subiecto. hoc enim secundum se totum mutabile est, cœleste vero solo situ mutatur. Sed ea quibus natura eius, & natura cuiuslibet partium ipsius sustinetur immutabilia sunt, ac immobilia. particeps tamen exilem quendam in modum est potentiæ, & actus, quatenus ipsius partes sunt potentia ad aliquem locum, ad quem postea actu perueniunt. sed & hoc omnibus sensibilibus substantiis est commune exire inquam è potentia ad actum: vt ex potentia albo, ad actu album: & ex bicubitali potentia, ad bicubitale actu: & ex hoc quod erat potentia Socrates, ad actu Socratem. nam semen ex quo genitus est Socrates, pridem potentia Socrates fuit. Ex quo diluitur trita illa, & communis dubitatio, quomodo ex non ente aliquid fiat. Nam id quod fit, non ex prorsus non ente efficitur, sed ex eo quod partim est, partim secus, id enim ex quo fit id quod fit, potentia est idem, quod actu erit. quod autem mutatur est cot-

est corpus, iccirco substantiæ perpetuæ, quæ ortum, & occasum minime subeunt: cum loco mutentur & ipsæ: fieri non potest quin corpora sint. Non ens autem tribus modis dicitur. vno modo, quod penitus non est. altero vt priuatio rei ortæ opposita. tertio quod potentia est. Duobus igitur prioribus modis quicquam fieri nequit. quid enim fieri potest ex eo, quod omnino non est, aut ex priuatione, dum ipsa manet? Sed ex corpore mutationi subiecto aliquid fieri potest: nam in eo, quod est potentia, est id, quod fit, actu vero non est. stantibus his, non ex quocunque corpore quoquo modo se habente, cuiuslibet rei generatio erit. nauis enim minime è lapillis fabricatur: nec ex quocunque gignitur homo: sed nauis ex lignis construitur: domus vero ex lapidibus: & homo ex semine humano oritur: non ex quolibet tamen: sed ex semine ex quo ortum habuit: pari modo æquus ex semine æqui gignitur. at si corpus, ex quo ea, quæ sunt, originem ducunt, secundum omnem sui rationem vnum esset, nec esset in natura habilitas quædam varia: quam cernimus multitudinem ex eo non emanaret. nam ꝙ verè vnum est, non suscipit multitudinem: sed oportet vt habeat potestatem adnexam, qua, tametsi vnum sit, multitudinem recipere queat: quòd si recipiens huiusmodi non fuerit, non est quidem rectum dicere illud eo modo à creatore positum esse, qui deinceps cogat ipsum, vt multitudinem subeat, hoc enim sapientis non esset. Anaxagoras autem creatorem vnum, itemq; sapientem concedit: vndenam igitur generabilium pluralitas: creatore vno existente, & corpore ex quo generatio fit, non multiplicabili: interrogatus: mens inquit creatoris, ac si ædificator, faber lignarius, aut aurifex esset, accipit quoddam corpus, illudq; disiungit opportuna disiunctione, & construit: componitq; variis formis pro vt decet. Nos vero se aliter res habere cernimus, quàm dicat Anaxagoras. Nam prius mutatum est vniuersum corpus in elementa quatuor: & præterea in stirpes, & animalia: at rerum multitudo à duobus prouenit: cum à creatore ob formarum multitudinem, quam corpori præbuit: tum à corpore ipso, quod quidem ad recipiendum aptum est. perinde ac si quempiam ceram accepisse fingamus, & ex ea multas animalium, plantarum, ac inanimatorum figuras confecisse: tunc harum figurarum pluralitas à duobus proueniret: ab artifice effingente: & à cera ipsa. ab artifice quidem: quia multas figuras finxit, ex cera vero quia potest multas figuras recipere. insuper in naturalibus dilucidatum est, neque formam per se solam effici posse, neque recipiens per se solum fieri. Rotunditas enim sola ab arte aurificis non fit: neque fit aurum: sed aurum fit à vena: rotundum autem ab aurifice redditur. Nam alioqui in infinitum progrederemur. quoniam si recipiens corpus generari posset, necessarium esset subiectum vtique aliquod: ex quo manente, & antecedēte produceretur. Similiter si corrumpi posset: in aliud corpus resolueretur, post hæc expositum est vnamquanque rem naturalem solummodo ex sibi simili, ac cognomine oriri: nec hoc in naturalibus solum: vt quòd homo generet hominem: sed etiam ea, quæ arte fiunt, hoc pacto sunt. nam generatur domus à domo: domus, inquam, sensibilis ab incorporea domo. Sed artem principium ab vno in alterius naturam esse constat. Natura vero principium in eodem ipso est. fiunt autem vitia, læsionesq; in natura, corpore ex quo generatio fit impedito, atque frustrato, neque eo vsque prouecto: quo naturalis ratio, atque ordo duxisset. idque potius priuatio principij appellari debet, quàm dignetur nomine principij. vt multa incommoda nauis incurrit ob nautæ imbecillitatem, cum ab aliquo vim patitur. tres igitur substantiæ sunt; inter quas vna

immutabilis

immutabilis penitus, & immobilis est: quæ non sensu, sed intellectu duntaxat apprehenditur: reliquæ duæ sensui subiectæ sunt: quarum vna perennis, altera caduca existit. sed tuum est sensibilem substantiam corruptioni obnoxiam in tres substantias dirimere: in elementum corporis formam suscipientis: in formam ipsam: & in id quod ex his constat. Neque tres substantiæ in hoc ferè conueniunt, vt sint hoc aliquid. Hoc nanque magis proprium substantiæ est, quàm reliquæ eius proprietates. Accidentibus enim, ne per temporaneum quidem spatium, significatio super hoc suppeditabitur. remotius tamen, vt sit hoc aliquid, est elementum. Nam materia ex sui natura est informis: nisi quod est quodpiam optans, hoc aliquid apparere: & substantia numeratilis esse: & videri renuit, dum forma priuatur: ne paupertatem, atque egestatem suam ostendat. nec sensus eam percipit, donec formam induat. attamen intellectus discursu quodam forma carere cognoscit: & scit ipsam esse per id, quod non habet. non enim habet formam qua fulciatur. At cum ipse ab ea omnes formas abstraxerit: tunc conuertet se ad eam. & semel ad primam materiam conuersus agiliorem postmodum comprehensionem in cuiuslibet rei materia proxima inuenit. nam materia hæc est hoc aliquid. habet enim formam: vt æs statuæ: & tabulæ nauis, sed hæc magis: cum sit ex rebus separatis, & non vnitis. vt etiam sunt lateres, ac lapides domus. hoc igitur modo ex imbecillitate, abstrusione, & remotione conuertitur materia, vt hoc aliquid appareat. his nanque existentibus videri respuit, nec per temporis momentum potest oculo cerni. Forma vero materiam tegens, quæ informatur. dignior est hoc aliquid esse, sed, quæ reliquas antecellit in esse hoc aliquid, est substantia composita singularis, vt hic. & ille homo, cæteraq; aliarum rerum singularia. At sciscitandum venit, vtrum detur forma seiuncta à corpore: an omnes formæ in corpore sint, adeò vt forma tantum substantiarum compositarum sit forma, quæ cum fortasse separari possit intellectu: nusquam tamen reuera per se sola existat. Dicamus artificialium formas hoc modo se habere. quod ex earum ratione innotescit. Nam lectuli forma aut in ligno est, aut in artificis mente: & sanitatis forma, aut in corpore existit aut in mente medici. neque est corruptio horum. neque generatio: sed alio modo sunt, & non sunt vt sæpe dictum est. sed quæ natura sunt non euadunt. quin aliquam formam à corpore seiunctam habeant, vt est anima, & intellectus. Iccirco ponentes formas abstractas esse, formas istas natura constantibus tribuebant, artificialibus vero nequaquam. formæ tamen naturales ferè corpus respicuunt: vt forma ignis, & forma carnis: cuius ordinis sunt omnes formæ naturales, & singulares. Nam sine corpore nequeunt manere. Mouentes autem formæ, & efficientes, non est falsum dicere quod antecedant ea, quæ ab ipsis procreantur: tametsi in corpore sint: & hoc pacto Socratis pater Socratem antecedit: & statuarius præcedit statuam, quam effecerit. At formæ quæ sunt vt ratio substantiarum compositarum simul necessariò sunt: non ante eas. Socratis enim sanitas cum Socrate est: non ante ipsum. figura quoque huius pilæ, & pila simul sunt. Nunquid autem post interitum compositi. vlla harum formarum maneat considerare oportet. In quibusdam nihil prohibere videtur: veluti si anima talis sit: non omnis: sed mens ipsa. vt enim omnis permaneat anima fieri fortasse non potest. Si igitur rei præexistentis forma in id quod gignitur, formam sibi similem inducit, vt cum homo generat hominem, & equus equum, & singularium quodlibet (vniuersale nanque nec gignit, nec gignitur at quid generat, & generatur est hoc. & illud) quid in genera-

tione opus habemus eius formæ, quã Plato dicebat? cur inquam generantis: forma exemplari vti debet, cum ad ipsius exemplum effingatur id quod ab ea gignitur? nam idem nomen, eademq; definitio, tam generatum, quam generans amplectitur: formaq; vtriusque est eadem. eiusmodi enim est, natura formæ generantis, vt aliam sibi similem formam generare possit, sed ne ars quidem in agendo formam vllam tanquam exemplar ad imitandum sibi proponit, sine quo Scamnum, aut aliam eiusmodi suppellectilem parare, nequeat. Ars enim est scamni exemplar, quoniam forma scamni est in mente artificijs ipsum facientis. veluti ars medendi est forma sanitatis, & ædificatoria forma ædium est. Et hic sermo de forma perfectus, & absolutus esset: nisi facesseret negotium, animalium multitudo, quæ à non simili nascuntur. Cernimus enim Vesparum genus ex equorum, apes ex boum cadaueribus gigni. ranam ex putredine aquæ, atque genus quoddam muscarum exigui corporis ex vino corrupto. tamen natura non producit ex re conuenienti in forma, sed nos optime nouimus proportionem quandam peculiarem spermati, seminibusq; plantarum ac animalium esse, qua generantur, quæ gigni debent: certa, inquam, animalia, cæteræq; plantæ: non aliæ, adeò vt ex humano semine non generetur æquus: nec ex equino semine homo fieri possit: pariq; ratione neque ex huiusce plantæ semine alia planta efficiatur. nec aliter respondet hæc proportio animalis huiusmodi, vel plantæ generationi, nisi quia ipsa prius posita in natura est, vt sit proportio parata, atque disposita ad nouandam, quoad eius fieri possit omnem viuentis spetiem: dummodo materiam ad procreandam inueniat idoneam: nam alioqui non erumperet in actum. Nec spernas obsecro, talium animalium conditionem: sed cogita admirandam magis fore artificis peritiam, si quid ex luto fingat, quam si idem, ex auro, aut marmore conflasset, quinimmo si oculis non conniuentibus rationem maioris viuentium animaduerterimus, inueniemus eundem in illo naturæ processum: neque fieri posse quin proportiones adsint, atque formæ in natura positæ, quibus nouantur ea, quæ sunt nouanda. tametsi enim generetur homo ab homine, pater tamen nihil artificij habet in hac sua compositione; quæ talis existit vt meliori modo se habere nequeat. sed ita fit quoniam in cuiuscunque substantiæ natura proportio, atque forma inest, proinde non ab artificio patris, sed à proportione fit. præterea corpus in sola corporis superficie operatur: natura verò se in corpus vniuersum insinuat, neque mirandum id esse in natura ipsa nesciente, & ignorante se gignere ea, quæ ad institutum conducunt. etenim ipsa, nec quòd agat intelligit, nec mente percipit, & hoc indicat proportiones illas honorabilioris, nobiliorisq; causæ, quàm ipsa sit. atque sublimiori gradu collocatæ minime afflari: nempe animæ, quæ est in terra: quæ secundum Platonem à dijs secundis manat: secundum Aristotelem à sole prouenit, & à circulo obliquo: & ob id opus efficit, ita vt quid sibi ad agendum proposuerit minime intelligat: quomodo afflantur homines vt verba loquantur, cum futura vaticinantur, haud sanè percipientes quid ipsi dicant. In summa fieri non potest, quin adsint in natura proportiones, ac formæ, nam in rei generatione ipsius similitudinem adesse oportet. Sed non inuenitur quo pacto id omne quod gignitur à sibi simili gignatur. nobis enim aliqua forma egentibus actio quædam obuia fit, à qua sola scimus formam illam fieri non posse, & perinde forma illa fit, ac si in aliquo alio lateret, & re vera in natura generante latet. Sed cum institutum sit primum principium eorum, quæ sunt quærere, iccirco quærere quædam proficuum erit, &

primo

primo nunquid principium omnium possit esse vnum, & idem, vt illud idem initium substantiæ sit, eorum quæ sunr ad aliquid, quantitatis, & qualitatis, an quodlibet prædicamentorum diuersum principium à principio alrerius habeat. Cum verò principium trifariam dicatur: tum quod est initium motus: tum id propter quod est, id quod est; tum materies ipsa: decet nos de materiis quærere, sit ne eadem materia omnium enrium: an quodlibet prædicamenrum diuersas materias possideat ab alterius materiis. sed absurdum videtur si eædem omnium sint: vt eædem sint materiæ substantiæ, relationis quantitatis, & reliquorum. si verò quis hoc affirmare conabitur: quæremus ab eo, quænam hæc mareria sir: si vna est: aut quænam hæ materiæ sint, si plures sunt: nunquid extra decem genera: an in aliquo eorum existant. non esse extra decem prædicaměta in promptu est: nam esset aliud prædicamentum præter decem: atque illis prius haberetur. Nam materia prior est hisce, quorum est materia. & nullum genus substantiam præcedit: vt ex prædictis liquet. Rursus si cõtendat ponere materiam in prædicamento substantiæ, tunc materia substantiæ esset materia relationis, quantitatis, qualitatis, actionis, passionis, atque habitus. ex quo sequeretur necessariò id, quod est extra captum intellectus, materiam substantiæ esse post substantiam, sed materiæ priores, ac simpliciores sunt his quæ ex eis componuntur, vt literæ sunt dictione priores. exponemus igitur marerias non esse in aliquo genere. At quærendum venit, an fieri possir vt sint quicq̃ vniuersalium omnia comprehendentium, vt vnum; aur ens. Si dicatur huiusmodi mareriam omnium esse: respondebimus, hæc nomina, tam simplicibus rebus, quam compositis deberi. ex quo sequeretur, simpliciora non esse compositorum materias, cum enim composita his nominibus appellarentur simpliciorum materiæ forent, prætęrea, si vnum, atque ens, sint principia decem prædicamentorum: & þrincipia sine his, quorum principia sunt, esse queant: vt punctum sine linea: & vnitas absque numero: & producens sine ijs, quæ ab eo producuntur: sequitur ens, & vnum sine prædicamentis esse posse, sed ens & vnum non sunt sine essentia substantiæ, quantitatis, qualitatis, & reliquorum. Nec vnum ens potest duo entia esse, non ergo hoc pacto eædem sunt omnium materiæ. immo impossibile est ita esse. At proportione quadam nihil prohibet. cum enim principia omnium tria sint, Forma, Materia, atque priuatio: in sensibilibus substantijs, calidum quidem vt forma est. frigidum vero alio modo priuatio. Materia autem id quod hæc porest suscipere, in prædicamento qualitatis album habet locum formæ nigrum locum priuationis: superficies verò supposita his est. Sic etiam lumen loco formæ, tenebrę loco priuationis habentur, & corpus recipiens lumen vtrisque supponitur. Impossibile est igitur materias dari, quæ communes omnino omnibus sint. at reperiuntur proportione, & Analogia quadam. Sed nunc non quærimus materiam eorum, quæ sunt. nam eorum principium quærere propositum fuit. sanè vterque causa est. Sed principium latius patet, extraneum nanque potest esse vt causa mouens, mareriæ verò nequeunt esse nisi in ijs, quæ ex ipsis fiunt. quod igitur materia est, id & principium dicitur. quod verò principium est, mareria procul dubio non est. Nam mouens potest esse extra rem motam. At proximam mouens in naturalibus simile est forma. homo nanque hominem generat. in artificialibus verò, quę mente fiunt, forma: aut priuatio. exemplo sir medicina, aut ipsius ignoratio: ædificatoria, aur imperitia eius. Sic quoque multa mouentes, causę simul, & formę sunt. Medicina nanq; sanitas quo-

dam modo est, quoniam mouens. & ędificandi facultas ædium est forma, homo vero generatur ab homine. At nostrum non est nunc proximum mouens inuestigare, sed quęrimus primum mouens à quo omnia mouentur. Et est manifestum, quòd est substantia: nam est initium substantiæ. at nihil initium est substantię, nisi substantia. Cum igitur substantię initium sit: principium erit omnium eorum, quę sunt. cętera nanque entia affectus motusq; substantię existunt, vt superius diximus. At quęritur de hac substantia, quę vniuersum hoc corpus mouet, nunquid sit anima, aut intellectus, aut quid aliud ab his diuersum. sed cauti esse debemus, ne accidens aliquod in esse primo principio iudicemus: ex his, inquam, quę cętera entia necessariò consequuntur. reliquis vero entibus inest potestas, atque actus: & varijs temporibus variantur: neque semper in eodem statu permanent: cuiusmodi sunt generabilia & corruptibilia. in his enim interdum idem est actu interdum potentia, vt vinum est actu cum feruet, atque mouetur, alias verò potentia erat, cum humor, ex quo generatur, adhuc erat in anima vitis. Caro quoque quandoque est actu, quandoque potentia erat in materijs, ex quibus generatur. Nec aliquid significare volumus, cum actum, & potentiam dicimus: quam materiam, atque formam. Forma nanque, si separabilis est, actu est: sic & id quod ex vtrisque constat. separabilis autem, vt lumen, ac tenebrę: si separari ab aere queunt. ex vtroq; vero compositum, vt corpus sanum, & ęgrotans. Cum materiam dico intelligo id, quod vtrunq; fieri potest, vt corpus, quod quandoq; sanum, quandoq; morbo obnoxium efficitur. Et actus atq; potentia non solum variantur in his, quę ex materia, & forma cōstant: sed & quandoq; in his, quorum non est eadem materia: quorumq; forma non eadem est, sed diuersa, vt in earum rerum motoribus. quod quidem mente seruandum puto in quæstione primæ causę. Nam aliquæ mouentes causæ forma conuenientes sunt rei motæ: ipsiq; proximæ: quas sequuntur remotiores. proxima causa est, vt pater, sol vero remotior est, sole adhuc remotior est circulus decliuis. quæ quidem causę sunt non admodum formæ, aut materiæ, aut priuationis, sed motrices sunt: nec conueniunt in forma: neque proximæ sunt vt pater: sed remotiores, & in agendo fortiores. Nam principia proximarum causarum sunt. Amplius dum quęrimus de prima causa cernere oportet, Causarum alias vniuersales, alias non vniuersales dici posse, vera principia nō sunt vniuersalia, sed singularia, vt hoc singulare initium est huius singularis, & hic homo huius hominis, non vniuersale: quoniam non existit: sed hic est pater huius: & hęc aqua est causa huiusce aquę. vniuersale enim, si causa esse dicatur, est causa vniuersalis: vt substantia est causa substantię; & quantitas causa quantitatis. At principia, quę verè principia sunt in singularibus quæri debent. nam materia non est absolute materia hominis, sed materia mea est mea materia: & materia tua est tua materia, veluti alia forma tua est, alia mea: non forma vniuersalis, sed singularis; & hoc idem est dicendum de mouente. explanauimus igitur quomodo principia possint esse eadem, & quo modo non. diximus posse eadem esse vero trium modorum, aut vniuersali ratione; aut proportione, & comparatione quadam: aut propterea quòd principia substantiæ sunt principia omnium. Nam si alia dicantur esse, hoc habent à substantia, & cum cætera ab ipsa substantia sint, patet quoq; à principiis substantiæ esse. cuncta hęc sunt memoria mandanda. Mox poterimus indagari principium de quo cœpimus disserere. Cęterum commodissime ab his initium cœpero, quæ nobis superius tradita, & demonstrata sunt. Substantiæ sunt tres, duę naturales,

naturales, tertia vero immobilis, duæ illæ naturales in præcedentibus dilucidatæ ſunt plena declaratione. Nunc ſermonem habemus de ſubſtantia illa, quæ non mouetur, nec vnquam deficit, & in primis quæritimus nunquid reperiatur ſubſtantia: cui tempus non eat comes: neque ſit obnoxia alterationi, aut mutationi. Et ſępe diximus hoc principium non poſſe demonſtratione cognoſci. demonſtratio enim ex principiis & cauſis conſtat, prima autem cauſa, hoc eſt primum principium, nec cauſam ante ſe, nec principium habet. ſed quod volumus hoc pacto fortaſſe conſequemur, conſiderando duo ineſſe primo principio: vnum quod eſt æternum: alterum quod eſt immobile. Separemus igitur hęc, & de vtroque ſigillatim diſputemus. & primo nunquid detur ſubſtantia ęterna: poſtea nunquid aliqua ſubſtantia ſit immobilis, tunc ſic procedēdo voti compotes erimus. Nam ꝙ facere ſolent infirmiores baiuli; quibus ſi quod graue ſuſcipiendū eſt onus, illud partiuntur, itaq; facillime perferunt: id nos imitabimur in hanc noſtra perſcrutatione, age vero pergamus. Dico igitur ſi oēs ſubſtantię corruptibiles ſunt, omnia profecto corruptibilia ſunt. Subſtantię nāq; cętera entia antecedunt; cum verum ſit vt à principio dictum eſt vniuerſitatem cohęrere: ſtabile nę; manere rectiſſimo proceſſu: & radicem, elementum, & principium partium ipſius ſubſtantiam eſſe: ſubſtantia corrupta nihil remanebit eorū, quę ab ipſa pēdent, ꝙ ſi quis vel nuper initiatus intueatur: inueniet non poſſe fieri vt ſubſtantia, & cętera, quæ ſunt, non habeant perpetuam ſubſtantiam, per quam eſſe ſuum obtineant. nec mireris inter ea quæ ſunt dari ſubſtantiam ęternam. nam inueniuntur quędam in natuta accidentium, quæ ęterna, & corruptibilia ſunt. talis eſt motus, talisq; tempus eſt, nam tempus finitimum habetur motui. eſt enim ipſius menſura, aut nouatum ab ipſo, ſed ne acutiſſimus quidem ſophiſtes cogitatione depingere poſſet motum, & tempus ſubire ortum, atque interitum. Nam ſi tempus natiuum eſſet ante ſuiipſius ortum fuiſſet, rurſus ſi caducum diceretur, adeſſet poſt ſuum interitum, vt iam potuit ex auditu naturali. ſed illud iterare libet, quoniam opportunum eſt in quęſiti noſtri explanatione. & in his potiſſimum, quæ ſtabilem ſcientiam prębent primi principij. motus igitur, & tempus, nec oriuntur, nec pereunt: neque hoc in ipſis ſupponi poſſe ratio ſuppeditat. De tempore ſat perſpicuum eſt. Nam inquiens fuiſſe tēpus ante ſe tempus non habens, & futurum tempus, quod nō ſequatur tempus, verba profert ſuas radices perimentia, nam quandoque, olim, aliquando, antea, & poſtea, appellationes, & nomina temporis ſunt, aut partes, aut definitiones, aut rationes ei coniunctæ. ſi vero ex his aſſerere vellet generationem temporis; minime optatum obtinebit: niſi ponat tempus eſſe priuſquam oriatur: pariterq; ſi quęrit his dictionibus vti, vt occaſum temporis monſtret, nihil aliud habebit niſi tempus eſſe poſt eius interitum. tempote igitur perēni exiſtente, & motus itidem procul dubio eſt. nam, vt diximus, aut menſura motus tempus eſt, aut ab eo pendet. De motu ergo ſcrutandum num æternus, an genitus ſit, ſi genitus iam præceſſit motor. at quonam modo licet animo comprehendere motorem æternum eſſe, à quo motus non ſemper manet? nihil enim prohibet quo minus indefluat, neque nouatum quippiam eſt quod aliquo modo motorem, ad motum excitauerit. nam quid quid fit ab eo fit. nihil eius voluntatem compeſcit. nihil incitat. neque poſſumus dicere, prius non poterat mouere, & mox potuit. nam ſequeretur eum mutationem ſubire, & ab aliquo mutari. quòd ſi quis contendat eum impeditum eſſe, præterquam quòd vilipendit, dum alium ab ipſo inducit. adhuc eum magis vilipendit,

pendit, cum necessario, hoc impediens sit eo valentius. præterea qui fieri potest vt hæc causa infiniro tempore inhibuerit, tandem vero eum absoluerit? hoc autem esse nequit, nisi aũt diuersa sit, aut ipsa quoque mutetur, nec se possit eodem modo semper habere. Motor igitur aliquando se abstineret à motu, aliquando moueret. Cum verò nouatio motus non absque motu fiat: motus erit ergo anre motum, nam variare alternare, sistere, sunt motus species, eumq; sectantur. Amplius impossibile est hoc quod motu cietur non esse corpus quodpiam, quod quidem si ingenitum ponatur, sed post quietem moueri, tunc cogimur causam dare, qua motum, mutatumve sit de quiere ad motum. Si vero hoc corpus genitum dicatur: motus esset genitus. antequam corpus fuisset ortum, sed nihil absque motu fit. & tunc motum præcederet motus. neque igitur potest motus à quiete nasci. at si ex omnino non ente hoc corpus dicatur fieri, simul erunt principium generationis motus, & principium generationis corporis. cum autem impossibile sit ex omnino non ente quicquam fieri, neque motus poterit à quiete nouari. Cum igitur motus ætherus sit, iam declarauerimus quomodo tempus ad motum se habeat, quæ sequuntur faciliora euadent, sic enim ratiocinando inferemus, si motus eternus sit: & corpus, quod mouetur, ethernum erit. nam si huiusmodi est accidens: multo magis est substantia. Primus vero motus est localis. Secundi autem, & tertij in alijs sunt prædicamentis. & motuum localium alij recti, alij circulares, solus autem circularis motus cõtinuus est. nam alij motus in consistentiam desinunt. si memoria tenes quæ vi demonstrationis in auscultatione naturali ostensa sunt. & continuatio æthernis valde necessaria est. nam quod mutatur, & consistit minime ethernum dici potest: pari ratione tẽpus æthernum esse fatendum est. nulla enim pars ipsius eiicitur, ex quo rursus licet excogitare motum continuum esse. ab eo nanque tempus pendet, siquidem igitur motus ille solum qui circulo fit, continens est, solus vtiq, æthernus est. proinde necessariò etiam motor istius motus ethernus est. nam quod non est æthernum, ne esse quidem potest causa perẽnis motus. cum in cæteris quoque minime detur vilius causam esse nobilioris. satis igitur patefactum est motorem primum æthernum esse, Cum verò hoc pacto sit: mouebit necessariò motu continenti. si enim motor esset, & motus eius non esset continuus, ne ipse quidem etherno tempore moueret. quod autem hoc impossibile sit liquido pater. nulla ergo prorsus erit vtilitas si substantias sempiternas induxerimus, perinde, atque ille, qui formas separatas quiescentes commenti sunt. Ar si naturales sint, ac etherne, prioresq; sensilibus non decet naturam hanc ociosam supponere, sed potius oportet, vt mutare aut mouere sit potens. Cum vero dico potens, haud inferre volo, quòd à potentia ad actum extrahatur. quinimmo potentiam ab ea remouendam esse censeo, nec eam puto numerari inter substantias, que quandoque actu, quandoque potentia sunt, nam egeret alio initio ipsam de potentia ad actum extrahente: cum fieri nequeat quidpiam potentia existens à se ipso ad actum trahi. Nam id quod potentia est inesse suo imbecille, atque imperfectum est. Et ei perfectio contingit, cum ad actum peruenerit. preterea id quod potentia est, potest ad alterutrum cõtrarietatis extremum se flectere. & si ad vnum flectitur nihil prohibet eum habere proportionem cum altero: Debent igitur ea, quæ sunt vnum habere principium: quod nullam substantiam habeat ante se. Cum sic fuerit, & ethernum: cum eo nõ miscebitur materia. nam id cui admiscetur materia in natura sua potentiam habet. At posset aliquis hic obuiam ire inquiens, nullum

lum potentia existens vllo pacto vilius esse eo quod actu est, immo ea quę potentia sunt, ad ea quæ actu, tanquam primum ad nouissima se habere, & aliquid ad actum proueniens habere potentiam priorem in esse, neque necesse esse, vt omnis potestas ad actum reducatur. sed hoc tantum in rebus sensibilibus verum est, eæ nāq; potestatem, & actum possidentes, potentiā prius habent, simpliciter tamen actum ad potentiā comparantes actum natura priorem inueniemus, ipse nāq; potentiam extrahit, atq; mouet, ꝙ aūt potentia pręcedat actum, sermo est antiquorum Theologorum, qui generabant mundum ex tenebris, & aere, vt dicebat Hesiodus: aut sermo naturalium materiam omnia procedere asseuerantium, particulasq; illas infectiles, atque infinitas dari contendentium, multaq; alia decentium, communis vero error eorum est, quod adscribunt materiam huic honorabili, ac vniuersali principio. nam quomodo materies ipsa mouebitur, nisi adsit aliqua causa præcedens, & mouens eam? nullam enim inuenimus materiam ex se ad formam moueri. at sicut lignum non ex se mouetur ad formam tripodis, sed ab artificis opera: sic & menstruus sangis: terra quoque ex se nec plantam producit, nec semen vllum. At sol mouet terram, cęteraq; elementa, & semina ad plantam generandam. hinc veritatis vi conuincitur ponentes materiam omnia præcedere, velint, nolint, causam actu existentem adesse fateri, vt Leucippus commiscens sempiternum motum suis illis particulis indiuisibilibus, vt Plato ponens inordinatum motum ante opus Dei. Empedocles litem, & amicitiam, & Anaxagoras iis quæ de mente commentus est. Sed par erat eos potius de causa huius ætherni motus verba facere, quidq; per ęthernum intelligāt explicare. nullum enim perpetuum motum nisi solum circularem dici posse creditur. solus nanque inter locales motus continuus est, sed nec quenquam dixisse constat quisnam sit primus motus corporum, naturalis inquam an præter naturam. nā quę motu cientur, non temere mouentur, sed aut ab intellectu, aut vi mouentur. neq; dicunt quisnam prior sit, naturalis ne, an is qui præter naturam, aut qui ab intellectu manat. magni enim interesse videtur, sed diligentius sententias illorū scrutantes inueniemus, ipsos ponere primum motum confusum, atque inordinatum. post quem ponunt ordinatum motum cum anima, & orbe, & cum ordine eorum quæ sunt, at ratio non patitur vt inordinatum rem ordinatam præcedat. sed videmus sphęrā omniaq; cœlestia corpora circulo cieri continuis conuersionibus partim diuturni temporis, partim breuis, & reuerti ad punctum, à quo initium sumpsere; & hoc ęquissimis reuolutionibus, atq; perfectissimis. quod autem habet vnum, continuum, ac vniformē motum iure, & merito causam habere debet: quæ comparata cum corporibus motis sit vniformis. si quid vero diuersimode mouetur, causa ipsum diuersimode mouens, eandem rationem cum eo quod mouetur habebit. at nihil inexistēs corporibus generationi corruptioniq; obnoxiis, ne ad exiguum quidem tempus durare, atq; eodem modo se habere potest. habent igitur hæc corpora aliquam causam variam sm ipsorum variationem. Cum aūt generatio, atque corruptio semper sint: nec vnquam deficiant: consentaneum est earum quidē causam variari: continenter tamen perseuerare: ex se quidē necessario hæc causa varia est. continuationem autem accipit, ab alia causa. manat ergo hoc à prima causa. quāuis etiam ab alia causa procedat, quod autem cogit hoc esse à prima causa est, quoniam causa est, tum istius permanentiæ, tum permanentiæ secundæ causæ. & hac ratione præstantior est, maiorisq; permanentiæ. nam cęteræ causæ, nec permanentiam, nec continuationem

nem habent, perinde atque causa prima, proprium enim secundæ causæ est variare. prima vero perseuerare, necessario igitur hæ omnes causæ erunt, tum perseuerantiæ, tum varietatis. & hoc sensus testatur, nemo nâque tam cecutiens, & sensu, & mente est, qui non videat, ac intelligat primum orbem circuentem cæteros orbes semper vniformiter cieri: orbes vero errantium stellarum semper motu vario moueri: & vnum alterum præcedere, ita vt inter se sint diuersi: atque omnia quæ generationem, & corruptionem subeunt, ab ipsis recipere motum continuum, & motum varium. Cum itaq; hoc pacto res se habeat, quid nobis alia initia quærenda sunt, vt hæc deseramus, cõuertentes nos ad poetas, qui generant omnia ex nocte, & informi chaos, &, vt vno verbo dicam, ex eo quod natura potentia est, non actu? Sed hæc missa faciamus: & dicamus dari corpus, quod indefesso motu semper mouetur: hic aũt est motus circularis, quod non tantum ratione, sed re etiam, & opere perspicuum est. Cum vero motus non deficiat: corpus, quod eo mouetur, ęthernum erit: id autem est primus orbis. Si igitur mobile corpus à motu non vacat, nec motorem à motu vnquam desistere, aut cessare palam est. Iam satis ergo patefecimus primum motorem ęuiternũ, sempiternũq; esse durationis, nunc quod immobilis sit explicabimus, idq; repetendo ea quæ iã præfati sumus. si enim quidpiam ex duabus constet rebus: quarum vna sequestrati, & per se stare possit; altera itidem per se manebit: & sequestrabitur, cum igitur detur mobile mouens, & mobile non mouens, necessario datur, & mouens non mobile. hic autem est primus motor impermixtus materiæ; cuiusquam substantia actus est, sed nemo miretur dari mouens immobile. Nam omne desiderabile hoc pacto mouet; & omne intelligibile, cũ intelligitur: & ad aliquas functiones mouet; hoc pacto mouet. At cum desiderabilia, & intelligibilia multa sint in nobis, & in aliis animalibus: fieri tamen nequit, vt desiderabile, & intelligibile simul moueant, nã desiderabile desiderium mouet, & manet immotum: tamen eius materia non est in genere intelligibilium. in primis vero principiis materiæ impermixtis. idem est desiderabile, atque intelligibile. Porrò nos etiam ex his, quæ sunt apud nos, cupimus, & eligimus quæ bona esse videntur. nam quæ eligimus appetimus, quoniam videntur bona neque talia videntur, quia nos ea appetamus. sed tamen nobis multa videri contingit, aliter atq; sint. sed in primo desiderato, atq; in primo desiderio nulla est diuersitas inter id quod videtur, quodq; re uera est, nam idem est, & quod apparet, & quod verè est. quod autem de eo intelligitur est in ratione eius. id autem est ipsum esse bonum. nam re uera est ipsum bonum. initium autem desiderij, est id quod de prima causa intelligitur: eo modo, quo appetitus in nobis initium est imaginatio, & cogitatio, omnisq; intellectus ab intelligibili mouetur: ceu mouetur cogitatio à cogitabili, atque imaginatio ab imaginabili. speties verò intelligibiliũ plures sunt, cæteris tamen prior est substantia, & inter substantias ea quæ simplicior est, & est actu, absq; potentiæ miscella; nec cuipiam subiicitur nec subiectum vllum habet; sed re uera est natura vna, & simplex, quod autem materiam habet, nec simplex, nec vnum separatim esse potest, at vbi est potẽtia. ibi multitudo, atq; compositio. cum verò vnum esse dicatur, nõ est quidem, vt id quod per vnum significatur: tametsi multiplex sit id quod vnũ & simplex dicitur, nam hominem vnum dicimus; gentem vnam: proportionem simplicem; atque elementum simplex. Sed si quis optime veritatem scrutetur, inueniet nomina hæc in rebus omnibus mentiri, præterquam in prima substantia. nam de hac verè dicitur, quòd vna sit, & simplex. neque cum

neq; eum eam vnam esse, dicimus quantitatem significamus: vt cũ nationem vnam dicimus: digitum vnum: hominem vnum; atque equum vnum. in his nãque aliud est, id quod est, aliud est esse vnum. in natura verò hac Ens, & vnum idem sunt. ita quoque simplex dicitur, non quòd ex ea possit quicquam componi: nec alterius comparatione sic appellatur, sed simplex est sine compositione, & multiplicitate. Et natura hæc non tantum est primus motor rerum: sed est perfectio, & id gratia cuius. Nam quod ex se eligibile est, & quod in se summam habet pulchritudinem, & nobilitatem: id & principium, & ex se perfectio existit. Et hoc etiam in lege reperitur. Nam lex administrationem mouet, quæ ab ea est. lex enim sui ipsius gratia, & per se pulchra est, ac eligibilis. nã tunc præstantissimi habentur: iustissimeq; dicuntur gubernare administrantes; cum legis normam, & ordinem speculando, perficiunt administationem, eamq; custodiunt. Hoc tamen interest quod lex non est substantia; sed actio substantiæ: quę quidem desinit esse: nec manet nisi per terminatum tempus. At primum desiderabile, & primum mouens est substantia impermixta materiæ, sempiternæ durationis, simplex, cuius natura actus est. perinde ac si cogitatione fingeremus legem, cui administratio heret, viuere; & se ipsam intelligere: & intellectione illa, vt re uera mouet, administrationem mouere ad modum rei desideratæ. Ita summus Deus est vigor, lex, causa, norma, & ordo, huius mũdi. estq; intellectus verè, perfecteq; primus. omnis autem operatio quæ ab intellectu manat: sapientia est, atque mens, cum igitur operatio intellectus sit substantia, necessario substantia primæ causæ, sapiẽtia est, atque mens. & ab ea ordo, & rectitudo entium prouenit, & est illa q̃ omnia quæ sequuntur appetunt, quedã eminus quædam cominus accedentia ad ipsam, vt etiam accidit in ciuitatum administratione. quidam enim ciues accedunt ad perfectionem, quidam verò remotiores sunt, & simile est desiderium hoc homini iuris peritiam profitentis, eamq; desideranti, vt s͡m ipsam viuat, omne enim obsequium est voluntarium, electio aũt ob amorem est, ac desiderium eius principij, quod profitemur. qui autem dixerit totum in rebus desiderium primæ causæ esse: vt ad eam prope accẽdant; & qualis ipsa est euadant; is iam metam hac sua consideratione transit: perinde ac si id esse diceret, ceu appetentiam cibi. At res non ita se habet. sed species desiderij multæ sunt, & multa sunt ea quæ amantur. & appetitus alimenti diuersus est ab appetitu rei desiderabilis. similiter etiam sanitatis amor, diuersus est ab amore dignitatis, ac viæ rectæ. Nam cibum appetimus vt ipso impleamur; desiderabile verò: vt id videamus: & ad ipsum accedamus. ita quoque sanitas amatur, vt acquiratur; via autem recta, vt recte agatur. sic exercitus ducem appetit, & ciuitas regem: vt eum imitetur, eiusq; obseruet mores. Manemus igitur in nostro sermone de prima causa: dicimusq; eam immobilem esse: neque mirandum putamus ipsam, cum prima causa sit, substantiam quoq; esse, & intellectum, qui dum se intelligit cætera eum appetunt, vt cognoscãt eum intellectum: qui est ordo, & norma entium; vt homo legi hæret, atque desiderat ex eius perscripto viuere, & præfectus admistrationis, rectam assequi gubernandi rationem exoptat. mouet igitur prima causa, vt res desiderata. primum autem, quod ab ea mouetur, & quod propius accedit, magisq; eam desiderat, & ei magis assimilari studet, est primum cœlũ, & orbis inerrantium stellarum: & quia proximus est ei rectitudinem eius, quam optat perfectiori quo potest modo acquirit. queadmodum pro rex regiæ dignitatis est particeps quippe qui regi propinquus sit non loco, sed natura. Post motum autem firmamenti sequitur

quitur motus planetarum; deinde generabilia, & corruptibilia; & natura ipsa cum multis motibus: qui non modo sunt secũdum locum, vt motus diuinorũ corporum, sed etiam eiusmodi sunt, vt vniuersam illarum naturam rerum permutẽt. sequitur ergo maximam varietatem in mobilibus esse; & aliam esse in vno cõtingentium, ab ea, quæ in altero. Si igitur motus omnia quæ mouentur comprehendit: & contingentia in motu ipso est: & motus partim in loco, partim in qualitate, & substantia, & in huiusmodi, idq; variè: non propter hoc in omnibus his tandem contingentiam inuenimus esse. Nam cum corporibus cœlestibus, quæ loco tantum mutantur, varietatem contingere dicimus, nihil aliud dicere volumus, præterquam quòd ea variis adesse locis contingit, non ita tamen vt contingat in loco non esse. Et, cum contingere dicimus, nolumus indicare id quod per hoc ostendi solet: nec modum quẽquam, qui ad alterutrum extremorum declinare valeat, sed iudicamus ea in loco non esse, in quo necessario collocentur. nam proprie contingere de hac natura imbecilli, ac confusa dicitur; quam contingentia ingreditur per ostium contrarietatis. Cum ergo meminimus de hac contingentia in corporibus cœlestibus; non asserimus ipsam ad eorum rationem pertinere. ea nãque sola prima mutatione quæ in loco est mutantur, absque intrinseca naturæ mutatione. qui autem mouet cœlestes globos hoc motu, quem sepenumero priorem cæteris mutationibus statuimus, immobilis est omnino, nec transfertur: nec in substantia. variari potest, nec alio pacto, generatio enim, & corruptio valde ab eo distant; pariterq; motus incrementi, & decrementi; is enim iter est ad interitũ. sed & motus localis ab eo remotus est, nam & ipse est vna de corporum mutationibus. at ille solummodo mouet; non mouetur. & id quod primo motu non mouetur, nec alijs mouetur. quamobrem valde distat à contingentia. Necessariò igitur est. Illud vero initium, quod hoc pacto necessarium est, id vere initium est. nam quod non cõtingit mutari, & non mutari, id necessariò est; & est ens. necessarium autem tribus modis dicitur, primo id quod est coactum, propterea quod est pręter voluntatem. secundo id sine quo res non bene se habet, tertio id quod aliter se habere non potest, ex tali necessario cœlum, & natura pendet. In summa autem præstantia degere, quod nobis ad exiguum tempus conceditur, huic substantiæ perpetuo datur. Nostra verò in ea permansio, eò quòd ex variis potentiis cõstet, parum diuturna est, vt viam sapientiæ reperiamus. intellectus enim noster vt plurimum anxius est, nec otium habet: & quamuis de aliis solicitus sit, & corpori implicitus; quãdoq; tamen iis ommissis, quę ipsum ab intellectione auertere possunt, se ipsum sine vllo impedimento paulisper intelligit; ex quo gaudiũ consequitur, idq; adeo intensum, vt exprimi nequeat. Ille verò, qui à sapientia ne punctum quidem temporis vacat, non habet delectationem acquisitam: sed ipse delectatio est; honorabiliorq; est cæteris entibus. quòd si apud nos vigilia est suauior somno: quoniam operari suauius est, quàm in otio languere: & sentire, q̃ sensu non vti: intelligere, quàm ignorare: protrahitur excellentia illius intellectus in gloriam, nec apprehendendi dignitatem infinitam. nam quod actu est in omnibus suauius est eo, quod potestate, idq; naturæ magis est cordi, quapropter spes iucundissima habetur, nã optat quod potestate est adiectum reduci. memoria quoq; non est potestatis, sed actus. Cum igitur id quod potentiam, & actum habet, suam in actu oblectationem consequatur, quam nam habebit proportionem lætitia eius, quod actu solũmodo est, & omni potentia caret, dum operatur seq; intelligit? Visus quoque cum nobilissimum,

ſimum, & pulcherrimum omnium colorum cernit lætatur, intenſeq́; gaudet. ſic & palatus cum præſtãtiorem & ſuauiorem ſaporum guſtauerit. Itidem auditus iucundiorem cæteris ſonum percipiens. ita quoque intellectus valde lętatur cũ omnium intelligibilium nobilius intelligit. nobilius verò omnium intelligibilium illud eſt, quod intelligit ſe, ſuamq́; eſſentiam abſq; moleſtia, ac impedimento, vllaúe ſenſuum intermiſtione; vt intelligibilia, quæ mente formantur, à ſenſibilibus ſeiuncta. Cuius verò natura, intelligibilis eſt id materiæ impermixtum, ac immutabile eſt, & exiſtit quia intelligit, atque intelligitur: & initium ſuæ intellectionis eſt ipſemet; immo idem eſt. nam ſi non eſſet hoc pacto, non eſſet ex ſua natura intelligibile. ſed natura intelligibile eſt; & hæc eſt ratio intellectus diuini, qui preſtãtiſsimus eſt. neque his membris diuiditur. ſed vtrunque ſimul ineſt naturæ eius, quod intelligit inquam, & quod intelligitur, nec gratia noſtri intelligibilis dicitur, ſed gratia ſui ipſius. & vt cæteros intellectus antecellit: ita inter cætera intelligibilia excellit. & ſicut eſt intellectus perfectiſsimus; ita eſt intelligibile veriſsimum. Cum autem intelligit intellectio eius eſt actus eius, & cum eſt in actu intellectionis, tunc ſimul eſt intellectus, & intelligibile. Ab eo manant omnia. Veſtit omnia. non eo tamen modo, quo corpora ſe mutuo tangunt, vltima tantum ſuperficie. ſed eo modo, quo ea, quæ contemperantur; quorum vnius totum, alterius totum, contangit. hoc pacto intellectus eſt omnium veſtimentum; & ab eo omnia manant; & intellectus, atque intelligibile eſt, proinde ſicut ſenſus non eſt idem quod ſenſibile: quandoquidem imprimitur ſpecies eius, ſubſtantia autem manet extra; haud ita ſanè ſe habet intellectus ad intelligibilia, quę per ſe inſunt ei; immo ipſe fert omnes formas. nec vlla ſubſtantia foris remanet, quæ miſceatur materię. ibi enim nõ eſt materia: ſed ſola forma ſine materia; quæ conſequitur intelligentem eam: cum neque diuidatur: neq; pars à parte reſcindatur; vt ſenſilia apud ſenſum. ſed in intellectu firmatur. In ſumma ipſe intellectus eſt, & intelligibilis, vt iã ſæpe diximus, nec ſimilis eſt in intellectui noſtro, qui labente tempore ab vna re ad aliam trãſlatus intelligit: & modo cognoſcit ea, qua non nouit prius, & hoc ei cõtingit, quia multum potentiam ſecum adnexam habet. huiuſmodi inquam non eſt intellectus ille diuinus, & primus; ſed intelligit ea, quæ penes ſe habet intelligibilia, per eorũ aſſumptionem. Et, vt ſummatim dicam, illa idem quod ipſemet ſunt, quoniam ipſe eſt ſua intelligibilia, & ipſe non intelligit ea transferens ſe, & in ea deambulãs, vt facit intellectus noſter. At omnia in inſtanti intelligit. proinde palam eſt ipſum intelligere omnia quæ ſunt, eo modo quo ſunt pereſſe; & eo modo quo ipſe poſuit ea entia eſſe, omnia verò apud eum ſimul ſunt. omnia igitur neceſſariò intelligit. quòd ſi nihil mirum eſt intellectum noſtrum id eſſe, quod ipſe intelligit, eò magis hoc ſuſpicandum eſt de primo intellectu. nam intellectus noſter diuinus eſt; quia aſſimilatur intellectui diuino. ſi igitur perfectam delectationem, atque dignitatem per cognitionem aſſequimur: id magis erit in prima cauſa. nã cernit ſe in ſumma dignitate; & ſe intelligit abſque adminiculo externæ naturæ. immo eam naturam, quæ requiritur in ſe habet. quod autem eſt in eius opere iucundiſſimum: neq; id vnquam defecturum eſt: neque is ei ſimilis eſt, cui deeſt aliquid, & quidpiam molitur, vt finem ſuum attingat ex re quam non habet. nam hæc omnia accidentia ſunt, atque nouationes; quæ intellectui noſtro contingunt. ſed hic ipſe eſt res iucundiſſima, veluti quoque ipſe eſt res præſtantiſſima. ſi igitur Deus ſemper ſic ſe habet, vt aliquãdo nos, admirabile quidem eſt: ſin melius admirabile magis pro-

fecto est, & perspicuum est, quòd separatus, ac simplex est, nec ipsum sensus dirimunt, aut accidentia, & intelligit omnia, quæ sunt, non in eo quod declinant ab eius natura, vel sunt ipsi operationes extraneæ: immo ipse ea producit: & ipsa id sunt, quod ipse. Nam Deus est lex, & ratio, causaq; rectitudinis entium, atque eorundem ordo est. nec est lex: vt hæc quæ in libris ponitur. Sed lex viua, perinde ac si cogitatione depingere posses legem animatam esse: seq; intelligere posse, vt si Lycurgus legislator adhuc viueret: & assisteret legi, quam tulit, cognoscens administratioñe, cuius ipse auctor est: & in se ipso intelligeret, Reges, duces, & milites: quo cum adnexa esset talis cognitio funiculo inextricabili. At Lycurgus ex natura sua decessit: & administratio, quãquam produxit, perijt: at si lex, & legislator perpetuam vitam viuerent. administratio itidem continuæ esset permanentię. Enimuero vita huius legislatoris non solum continua est; initio ac fine caret: sed etiam præstantissima est. præstantissima enim vita mens est, & honorabilior est omni vitam habente. Nec quandoque viuit, quandoque non: nec diuersimode viuit, perinde atque nos. Sed ipse est vita, quoniam est actus: & actus est vita, & eius perfectio honorabilior est cæteris operationibus, & sic est continua, perpetuaq; vita. Dicamus igitur Deum esse vitam æthernam, continuam, ac perfectissimam. Quare Deo vita æuumq; continuum perpetuum, & immortale est, nec nos quicquam aliud habemus quod dicamus: Nisi quòd Deus vita est, & continuum æuum. At iam aliqui sunt opinati præstantiam, ac pulchritudinem reperiri non posse in initio rei, vt secta Pythagoreorum, & Leucippus cõmenti sunt. Nam inquiunt: principia animalium, & plantarum sunt causa vt sint. pulchritudo autem, ac perfectio non est in semine, nisi cum iam perfectum fuerit, & ad maturitatem peruenerit. At non ita est vt opinantur. Nã vtilitatem iam habent à radicibus. in eo vero quod simul habet actum, & potentiam, priorem potentiam esse fatendum est. simpliciter tamen actus potentiam præcedit; vt homo prior est semine hominis. Esse igitur substantiam quandam æthernam, & immobilem, atque à sensibus non loco sed natura separatam ex hisce, quæ iam dicta sunt, patet. Demonstratum est etiam hanc substantiam non esse corpus, nec magnitudinem vllam habere posse, neque incipere, neque desinere, sed infinito tempore mouere. Non dari autem magnitudinem finitam potestatem habentem; qua in infinitum moueat: iam expositum est in sermonibus nostris naturalibus. Nam omnis magnitudo, aut est finita; aut infinita, vanum autem est dicere infinitam dari, sed nullum finitum decet habere potentias infinitas, eò minus si illud, qua corpus est, ab ipsis moueatur. nam qui solem dicit, & cætera astra finita esse, tamen potestates habere infinitas; insufficiens vtiq; in sermone suo est, quoniam virtus infinita, quæ existit in stellis, non insita est eis à natura, quatenus corpora sunt: sed aut à prima causa manat; aut anima, quæ est in eis, prouenit ab illa virtute, quæ corpori non inest, prima nanque causa ea infinito tempore circunfert, quod si hoc potestate haberent vt habent corpus, & magnitudo, nec perseuerassent in actu: & fatigarẽtur proculdubio; & quiete egerent. Nam stellarum corpora ob insitam potestatem vigorem habent finitum. diuersis enim temporibus in alio, & alio loco sunt, hæc autem loca quasi motuum termini sunt. impossibile nãque est potentiam, quam sequatur actus, quem ipsa appetat, finem, ac terminum non habere, sed causa, quæ est potentiæ expers, & actus continuus, & inuariabilis est, quomodo habere potest magnitudinem, & corpus; vt habent hæc in quibus potentia continuò cernitur, siue sint corruptioni obnoxia, siue non?

siue non? In summa actus separatus ex se ipso potest perpetuari in infinitum cum temporis continuatione. Actus verò proueniens ab eo, quod est potentia, supplementum rei in potentia est, nec animo comprehendere licet, hunc actum infinito tempore durare, iam enim præcessit eum potentia. Necessario igitur virtus, quæ stellas mouet, infinita est. stellæ nãque non acquirunt hanc virtutem per id quod potentia est. motus verò earum in tali, & tali loco finitus est. quoniam hoc modo stellis inest potentia, latere autem non debet vtrum substantia huiusmodi, quę magnitudinem non habet, expersq; materię est, vna sit ponenda, an plures. Nam antiqui nihil certi dilucidiúe tractarunt de immaterialium, immutabiliumq; substantiarum multitudine. qui enim formas induxere inquiunt, formas immateriales esse substantias, atque immobiles. nihil tamen aiunt de eorum numero, & reliquere rem dubiam admodum numerorum, quarum additamentum nescitur. Nam Ideas numeros inquiunt esse: atque de numeris interdum, vt infinitis: interdum vt vsq; ad denarium definitis loquuntur. Nobis autem est dicendum ex hisce, quæ supposita sunt, atque determinata, principium vnum esse impermixtum materiæ, incorporeum, primo motu continenter, & perpetuò mouens, omnis motionis, atque mutationis immune. quod autem aliæ sunt substantiæ post hoc primum exordium, quæ hoc pacto sint id inuenitur ex ratiocinatione, & sensus attestatur. nam omne quod mouetur à motore mouetur. Sed causa prima immobilis est, tũ per se, tum per accidens. Substantiæ verò sequentium corporum motrices, necessario multæ sunt pro numero corporum quæ mouentur ab eis. & hæ quidem per se immobiles sunt, per accidens tamen mouentur, perinde atque anima. Nec tãtum immobiles sunt sed & perpetuæ. natura nãq, stellarum perpetua est. id igitur quod eas mouet perpetuum esse debet, est enim ante substantiam, & substantia necessariò est. multitudinem autem virtutum ex Astrologia, quæ Philosophiæ familiarissima est, accipere oportet. hæc enim de numero motuum quibus vnaquæque errãtium stellarum mouetur contemplationem facit. numerumq; orbium eas deferentium exprimit: & inuenit. Numerus vero orbium deferentium stellas diuersus habetur apud Calippum: ab eo qui est apud Eudoxum, sed hæc breuiter, & summatim à nobis explicanda sunt. illud enim tantum volumus: vt virtutes mouentes tot sint; quot sunt corpora, quæ mouentur: & earum alia prima sit, alia secunda: secũdum ordinem quem habent orbes inter se, ita vt non solum ordine, sed & essentia, atq; substantia differant. ordine nanque inferiores minus nobiles sunt, & hac ratione primum habent, ac secundum gradum. iccirco necessario diuersitatem in substantiis obtinent. familiarem autem philosophiæ Astrologiam esse dixi, quoniam hæc sola de substantia sensibili perpetua sermonem facit. Reliquæ vero Mathematicæ accidentia corporea contẽplantur, vt Geometria quantitatem continuam. Arithmetica discretam. Astrologia vero mediocriter erudito patet vnamquãque vagãtium stellarum pluribus motibus ferri; & quolibet corpus moueri manifestè cernitur. At quis numerus motuum planetarum nunc quidem nos dicemus, ea comprehensionis gratia referentes, quæ Mathematicorum nonnulli dicunt, vt mente percipiatur, & possit intellectu formari numerus certus ac determinatus. Aliàs vero partim quærendo, partim ab inquirentibus sciscitando siquid præstantius inuenerimus: quàm inuenerint qui hæc hactenus scrutari, contẽplariq; sunt; omnia in medium afferemus. & par erit, vt fides adhibeatur ille, qui certiorem fecerit inquisitionem. Dico igitur Eudoxum lationem veriusq; solis, inquam, ac lunæ; in tribus

tribus esse sphæris posuisse. quarum primam causam esse dicebat, quæ non vagantium est stellarum; secundum verò per eum circulum, qui per media signa transit. tertiam per eum, qui est obliquus in latitudine ipsorum signorum. in latitudine autem maiore circulum eum esse obliquum, per quem luna; vel eum: per quem sol fertur. Vagantium vero stellarum vniuscuiusque lationem in quatuor sphæris esse ponebat. Atque harum primam quidem, & secundam eandem, quam ille rationem subire. Nam & eam quæ & non vagantium est stellarum, quæ omnes defert, & eam quæ sub hac collocatur, atque per medium circulum, qui per media signa lationem habet, communem omnibus esse. tertiæ vero omnium in eo circulo polos esse, qui per media signa transit. At quartæ lationem per obliquum ad medium circulum huius esse. tertiæ vero sphæræ polos cæterarum quidem stellarum proprios. Veneris autem, atque Mercurij eosdem esse ponebat. At Callippus positionem quidem sphærarum eandem, quam & Eudoxus ponebat, idest ordinem distantiarum. Altitudinem verò stellæ quidem Iouis, atque Saturni, eandem quam & ille tribuebat. Soli autem atque Lunę duas insuper Sphæras addendas esse censebat, si quispiam ea quæ apparent debeat assignare. reliquarum vero vagarum vnicuique vnam. Quòd si debeant omnes compositæ ea quæ videntur reddere in vnaquaque stellarum vagantium alias sphæras vna pauciores esse, quæ reuoluunt, idemq; restituunt positione primam sphæram eius stellæ semper, quæ sub ipsa est collocata, necesse est. hoc enim pacto duntaxat vagarum latio stellarum omnia facere potest. Cum igitur hęc sphęrę, in quibus ipsæ ferantur, aliæ sint octo, aliæ vigintiquinque. Harum autem has solas reuolui non oporteat, in quibus infima collocata stella defertur. ea quidẽ, quę primarum stellarum duarum sphæras reuoluunt, sex erunt. hæ vero, quę posteriorum quatuor stellarum sphæras reuoluunt, sexdecim erunt. omnes igitur sphæræ deferentes, & reuoluentes eas quinque erunt, & quinquaginta. quod si lunæ, solisúe quispiam eos non addiderit, quos diximus motus omnes sphęræ, quadraginta erunt, & septem. Multitudo igitur sphærarum sit huiusmodi. quare, & substantias ipsas, & principia mouentia immobilia, atque etiam sensibilia tot esse existimare consentaneum est rationi. Numerus enim motuum secundum sphærarum necessario debet esse. sic & numerus mouentium secundum numerum motuum, & hæc nobis sufficiant. etenim non est nostrum diiudicare an is sit motuum numerus, an alius. iudicium vero necessarium iis omittatur, qui accuratius de his differere possunt. quòd autem fieri non potuit vt vlla sit latio, quæ non ad lationem stellæ conducat; nullaq; præterea natura, aut substantia diuina otiosa esse possit: hinc cõstat. nulla enim huiusmodi substantia cum per propriam definiatur operationem poterit ordinari ad summum dignitatis gradum: qui est consequi perfectionem continuæ vitæ. Nullum igitur erit aliud corpus mobile præter hæc corpora, substantiæ ergo totidem esse debet. Nam si essent alij motus, alia etiam corpora mota essent, at non sunt alia corpora præter hæc. nec igitur sunt alij motus; nec aliæ mouentes causæ præter has. nam omne quod defertur, est eius gratia quod defert, & omnis latio cuiuspiam est quod fertur. Nulla latio sane, aut sui gratia, aut per lationem aliam erit. natura enim abhorret nimis incassum, ac in infinitum progredi, dari autem lationem gratia sui vanum esset. in infinitum verò profectio esset si per aliam lationem esset. Cum autem hoc ita sit, quod reliquum est quæramus oportet. Dicęmus igitur mundum esse vnum. nam si plures sint sub vna specie perinde atque homines,

homines, vnumquodq; principium ſpecie quidem vnum erit: numero autem plura. At iis, quorum forma eadem eſt, numerò verò multa, diſcriminis ratio materia eſt, atque elementum. Vna enim eſt, ratio eademq; omnium hominum. Diſcrimen vero inter Socratem, & Platonē ex materia manat. At prima forma, primusq; motor immaterialis eſt, & incorporeus, id ergo, quod continenter mouetur, vnum eſt duntaxat. nec ſolus mundus eſt vnus: vt in his quæ de natura tradidimus patet; cum extra ſe, neque graue vllum, neq; leue corpus habeat: ſed etiam cauſa mouens vna eſt. At quia cogimur fateri principia motuum plura eſſe non poſſe, vt conſtat ex demonſtratione certa, quæ ex naturalibus ſumptam eſt, principaliſſimum eſt naturam primam vnam eſſe, ſtabilemq; in omnibus ſphæris, quæ quidem dilectio eſt, eo modo quo lex vna in ciuitatum gubernatione: aut rex vnus eſt. hoc autem eſt, cum tota ſocietas mouetur, vt imitetur legem illam: vt ſepe diximus: cum dilectio adeſt; hoc eſt: cum propter adminiſtrationem, cui obſequuntur regem, eiuſque imperium amant. inuenimus enim, & in adminiſtratione, quæ eſt apud nos, rem dilectam principium vnum in omnibus eſſe. id autem eſt rex, aut lex. quòd igitur ſocietas exequatur mandatum regis: id non erit ex opere vnius duntaxat eorum. Sed alij ſunt poteſtatis adminiſtri: alij ſerui: alij inter vtroſq;: alij milites, alij tibicines, militum autem alij equites: alij pedites, hiq; vel haſtati, vel ſagittarij. Ita variæ ſunt operationes, & vitæ; motus quoque diuerſi: & quandoq; contrarij, omnes tamen rem vnam perficere conantur. omnesq; vnum appetunt, vt dilectum. id autem eſt vt perueniant ad id, quod præceptum, atque ordinatum eſt ab ipſo rege, & hoc vnum eſt, & immobile magnitudinem non habens. cum illis verò comparatum multiplex eſt. nam motus plures ſunt, operationesq; multæ. & ſubſtantiæ conſequentes illas operationes multę itidem ſunt. at ipſe eſt communis omnibus. impoſſibileq; eſſet ipſum ab omnibus deſiderari; niſi formæ propriæ cuiuſlibet eorum, ac propriæ operationes ab eo penderent. Nos autem vera prædicaſſe, dum diceremus dari ſubſtantias primas mouentes mundum, ac cœleſtia corpora; eſſeq; vt bonorum coadunationem; id oſtendit, quod accepimus ab antiquis. ipſi enim atteſtantur quòd ſunt. Nam fabulæ reliquerunt modo in prima Philoſophia hęc corpora Deos eſſe; & ipſum diuinum corpus totam continere naturam: reliqua vero allata ſunt ad perſuaſionem vulgi, atque ad vſum legum, vitæq; humanæ vtilitatem. Nam his diis formam tribuunt ſimilem quibuſdam animalibus, cuiuſmodi ſunt. Aries, Piſces, ac Leo: quos ita vocant, aut ſecundum virtutes, quas habere putant; aut ob operationem eorum; vel quia ſimiles ſint his animalibus. Hoc autem vnum, & primum habemus, quod antiqui opinabantur ſubſtantias illas primas motrices diuinas eſſe, vt eſt quaſi manus traditum. quem quidem ſermonem diuinum eſſe inueni. At quia diximus primā cauſam eſſe mentem: Impoſſibile enim eſt meliorem ei vitam attribuere: ſcrutandum eſt quonam modo ſe habens ipſa talis ſit. nam quædam difficultates inſunt, & in primis quæritur: cum mens ſit; intelligat necne; an ſicuti ſapiens cū dormit ſcientia non vtitur: ita intellectus primus habeat naturam hanc, neque intelligat, neque agat. ſed hoc riſu dignum eſt. etenim ſe nihil intelligit, nec quicquam operatur, quidnam ipſius excellens? quid egregium erit, ſe quaſi ſopore correptus omnia moueat, omniaq; ſibi inclinet, eo modo, quo corpora à dilectis mouentur, dilectis ipſis dormientibus? Dicere autem primam cauſam omnia mouentē, à qua omnia, quæ ſunt dependent, ocioſam eſſe; vacareq; ob opere ſibi conueniente: eſt perimere

principium

principium vitæ, fontemq; eius exsiccare. manifestũ igitur proculdubio est, quod intelligit; atque intelligendo operatur; cum sit intellectus. quæramus modo quæ sit eius operatio. Non euadet enim quin sit operatio hæc, aut sese intelligere, aut aliud quodpiam. Si quodpiam aliud; aut idem semper, aut aliud, atque aliud intelligit. at si quid aliud extra suiipsius substantiam, vt visus colores videt, qui sunt extra naturam suam, & auditus sonos audit, sic & illud, quod intelligit non sit in ipso: id erit causa operationis eius: vt res visa mouet visum ad videndum; auditaq; auditum. non est ergo quæ illius est substantia intellectio sine eo principio; sed potentiam habet ad intelligendum aliud intelligibile, non est igitur substantia optima. per intellectionem enim, & quia intelligit præstabilitas ipsi nimirum competit, & inest. Rursus si aliud quodpiam intelligit extra sui naturam: id erit eo præstantius, atque excellentius. est enim in causa vt intelligat. Vt ergo visus est gratia colorum, vt eos cognoscat, & auditus propter sonos. ita intellectus intelligibilis gratia erit. sed omne quod est alicuius gratia ignobilius est eo, cuius gratia existit. erit igitur intellectus potentia. continuatio igitur intellectionis ipsi laboriosa erit; vt visui contingit ob visibilium frequentiam, audituiq; ob frequentiam sonorum, in his enim, quæ de potentia ad actum extrahuntur, & lassitudo contingit, & imbecillitas, iccirco necessarius fuit somnus animalibus omnibus. præterea si intelligit quodpiam aliud; aut illud intelligit vt excellens, vt pulchrum, atque bonum, aut vt vile. sed perspicuum est circa vilia versari vilissimum esse; præsertim in intelligentibus formam rei intellectæ præcedentibus: ex quibus vnum, & idem fit cum eo quod intelligitur. sed absint omnia opera vilia ab eo, & dicamus eum intelligere res, prout præstantissimo, eminentissimoq; conuenit: nec mutari: ad deterius enim esset ipsa mutatio: atque ad ipsum, iam motio quædam esset. In summa, si præstantia eius ex intellectione esset, & eam ab ignobilibus acquireret, intellectio eius esset quidem intellectio, sed vilissimarum rerum: & dignitas quam ex intellectione accepit itidem ab ignobilibus esset. sed cum hoc vitari debeat: rectius est cum non videre hæc: quàm videre. patet igitur non tantum intelligere, sed id etiam quod diuinissimum, omniumq; præstantissimum intelligere. At turpe absurdumque est, ponere substantiam talem ante se honorabilius quodpiam habere. sed, hoc dato: dicemus ne id, quod ab excelso intelligitur, continenter vnum, & idem esse: an multa? quòd si plura: intelligit ne omnia simul; an ab vno ad aliud transit, vnum delinquens, & alterum suscipiens? sed hæc omnia abundant absurdis. Nam si vnum, & idem assidue intelligit, aut ex hoc intellectus eius perficitur: aut non, si perficitur: est ergo manens. si non perficitur, proculdubio non intelligit illud, quòd si multa sint, quæ ab eo intelliguntur: eaq; ab vno ad aliud tendens intelligat: indigebit memoria: & acquirere dicetur rem quam non habebat prius, quod si ea momento intelligit: tunc quæstio reuertitur quà quærebatur, an vnum intelligibile perficiat intellectum suum. præterea impossibile est in natura omnia simul intelligi. in quibusdam fieri sanè potest, in omnibus vero minime. iccirco ob hæc inconuenientia à sermone illo abstinendum est. At intellectus primus semper omnia intelligit, ea autem multa sunt. sed intellectio eius vnius rei tantummodo est. & hæc res in summa existit excellentia, atque dignitate. ipsemet autem est illa res: quæ in summo est, proinde sese intelligit. quapropter non contingit ipsum laborare, nam aliud non intendit, nec alium finem habet à se ipso.

neque etiam exhibit è potentia ad actum, quem lassitudo sequatur. sed, vt quilibet homo seipsum diligit, ita se habet; qui se intelligit, dum intelligit se: & sicut diligens animam suam in ea est, & amat eam. sic quoque quod intelligitur, & seipsum intelligit: idem est cum eo, quod intelligit, ac primus intellectus principium est omnium eorum, quæ sunt: quæ quidem ab eo cognoscuntur. & eius intelligere non est, vt transitus: ita vt hoc quidem relinquat; illud vero accipiat. sed ea simul omnia apprehendit. intellectus vero noster ob imbecillitatem nequit multa simul facile intelligere; nec potest ad multa simul intendere. quemadmodum debile corpus nequit multa comportare, sed vbi ea separauerit leuius fert, sic debiles virtus plures simul colores videre non patitur. firmior verò multos simul percipere poterit, ac diuinus intellectus eò quia summe perfectus dum intelligit tempus non requirit. sed simul omnia affatim intelligit, vt oculus acuti visus, qui multa simul cernit. longe tamen melius primus intellectus omnia intelligibilia simul intelligit, cum se ipsum intelligit, nec perfectio, scientiaq; ipsius in tempore est. nam omnia temporis spatia antecellit, tempus enim est mensura motus: ille vero minime fertur; sed immobilis est. Et sicut tu cum Cytharam pulsas, omnes quidem chordas pulsare nequis. si verò Cythara animal esset; acutum simul, atque grauem sonum ederet: ita Deus multa simul complectitur, multa facilime diuidit. præterea anima currentis nõne potest multa membra simul mouere; vtranq; manum: vtrunq; pedem; ac caput? at quodvis horum membrorum simul totum, non partem post partem mouet. quid igitur obstat. ne hic intellectus, à quo nullus locus in vniuerso vacuus est: quique totum modum mouere potest; intelligant omnia: cum admirabilius sit plura simul mouere? Non est igitur neganda multitudo diuitiarum virtutis diuinæ, nec ille comparandus est cum intellectu nostro imbecilli. in cognitione enim non eget transitu per singula nec compositione indiget, nec ab ignorantia ad scientiam transit. nec oportet, vt inferat conclusiones ex præmissis manifestis. quinimmo sicut acutus visus non requirit tempus in colorum apprehensione, sed cum accedit ad eos, omnes sine mora cernit, sic diuinus intellectus, & eo valde magis intelligit mundum intelligibilem nõ tempore, & absque labore. Quod si immensam aciem intellectus diuini attingere cupis; intellectum hominis, eiusque corpus considerare oportet: & sicut hic intellectus magis apprehendit, atque cognoscit, & velocius mouetur, citiusque operatur, quàm hoc corpus, ita promptiorem intellectum diuinum esse ad intelligibilia intelligenda credere debes. quod si differentiam hanc, quæ inextollentia, facilitateq; intellectionis existit, ad facilitatem causæ mundi transferas, non procul eris à syllogismo necessario. Si verò syllogismum in figura constituas, vt Mathematici solent, hoc pacto inquiens; sicut hoc corpus splendidius est est hoc corpore: ita hic intellectus splendidior est hoc intellectu: tunc nemo miretur si multa simul percipere, & intelligere potest. Neque etiam mirum est principium hoc à se ipso intellectionem habere. nam cum cogitamus intellectum diuinum, nullatenus assimilari materiæ: & esse causam motus sphæræ: sicut ipsa nullo modo quiescit vnquam sic nec dici potest Deum ab operatoribus suis vnquam desinere. Cum autem concedamus dari corpus cui intellectus continenter assistat, quid impedimento erit intellectui ex se ipso actum, atque intellectionem habenti? ex his igitur perspicuum fit Deum esse primum principium: sed intelligere: & omnia simul, quo-

D rum ipse

rum ipse principium est. Nam cum seipsum in sui ditione teneat: itidem quæcunque etiam per eum existunt ad suam ditionem redigit, illud quoque verum est, ipsum vigere, seq; intelligere. hoc enim cæteris honorabilius est, atque excellentius. Atqui scientia semper alicuius esse videtur: nempe scibilis, & sensus sensibilis, sic & opinio, atque intellectus, sed intelligibilia per suam substantiam apprehenduntur, vnà cum cognitione apprehensionis, quippe homo albedinem apprehendens, iam animo concepit se albedinem percepisse, pariterque cum intelligit angulos trianguli. æquales esse duobus angulis rectis: immo quoque percipit hoc intellexisse. Dicimus igitur scibile, ac scientiam in aliquibus idem esse; sicut etiam intelligibile, & intellectum. Nam scientiæ expertes materiæ, sunt rationes, & intellectus, ita vt id quod intelligitur, aliud non sit; nec segregantur ratione quantitatis, aut mensuræ; sed forma intelligibilis, & intellectus sunt simul; estque vnus intellectus, qui ad se conuertitur, & vtrunque simul dicitur intellectum esse, atque intelligibile. nam intellectus, qui vnus est, non transit à re intellecta ad aliud, quod sit à natura sua alienum, sed ad se conuertitur. vnaq; id quod ex ambobus constat. At profecto vnus est sine materia, vt in effectricibus artibus. cum enim materiam ab arte rescindimus: nil aliud remanet, quàm artis forma, atque operatio ipsius; vt Scamnum nil aliud est quàm ars fabrilignarij: & sanitas sine corpore nil aliud est, quàm medendi ars. Cum igitur possit in materialibus cognosci formam artis, & artem idem esse, nihil prohibet in iis, quæ impermixta sunt materiæ, quæ neque partes habent, nec copulantur: nihil inquam prohibet, quin intellectus, & quod intelligitur, & intellectio idem sint. Ex hoc igitur sermone optime percepto palam est intellectum primum intelligere mundum. Cum enim intelligit sese: intelligit, quid ipse sit: & intelligit se esse causam, & principium rerum. sed principium de forma dicitur; & de eo gratia cuius: & de eo quod est principium motus, cuiusmodi est hominis intellectus; eius enim principium esse tripliciter dicitur, nam sæpenumero hi tres modi quibus principium dicitur in vnum coeunt: vt patet de homines anima. quod si Deus intelligit se esse formam omnium, ipse quoque est principium rectitudinis entium: atque eorundem ordo. & dubio procul simul comprehendit ea, quorum rectitudinis principium est, & quorum est ordo. At considerandum etiam est nunquid bonum, & quod præstantissimum est differant. vtrum separatum quoddam vnumquodque eorum ab alio, & per se ipsum sit. Sed differentia inter vtrunque in ordine consistit. Deus vero inuisibilis continet ea perinde atque in exercitu. Nam bonum quoque exercitus in ordine, atque æqualitate consistit. Ita, & cuiuslibet regionum, sed magis in duce. homo enim ille insignitus, non est propter ordinem, & æqualitatem: immò ordo, atque æqualitas ob ipsum sunt. bonum igitur non est temerè, sed secundum ordinem. & in eis est ordinatim, & rectè; non casu: nec sine intellectus vicinia disponuntur. à Deo enim mouentur res vt homines præstantes mouentur ab illo, qui præcepit eis ciuitatis administrationem: & eo modo, quo rex societati imparat. & ordo, & æquabilitas, quorum Deum esse causam asseueramus talis est: vt mox explicabimus. Dico igitur quòd vniuersa sunt aliquo modo, sed non similiter, ordinata, natantia, volantia, plantæ, & non ita se habent, vt vnum ad alterum nullo modo referatur, sed inuicem referuntur. nã ad vnum quidem vniuersa sint ordinata. sed perinde atque in domo liberis minime licet

quoduis

quoduis facere, ſerui autem, & belluæ pauca ſanè, parumq; ad totum conferentia faciunt, pleraque ex accidenti agunt. natura nāque cuiuſque ipſorum tale principium eſt, ſic igitur & in mundo eſt, nempe circulatio ſtellarum, & certa ipſarum diſpoſitio, & cœleſtia corpora talia ſunt, vt in ijs nihil indeterminati habeatur, animalia vero quæ ſunt in terris, & plantæ vtilitatem vniuerſalem per exiguam præbent. Sed quodlibet horum, vt plurimum temerè operatur, atque patitur, quoniam corrumpitur: & corruptio quidem vniūs, vt aliud generetur; & nutritio eius, quod alimento eget; & pullulatio rei, eiuſdemq; ad ſtatum deductio: & tandem decrementum; & quæcunque huiuſmodi; ſunt vtilitates vniuerſales, quod autem calce petat aſellus, & ictu noceat ſerpens: quodq; vas aqua plenum iuxta plantam à ſue diſpergatur, nullo ordine, nullaq; contingit norma. Et hoc rectius eſt, quàm Deum materiæ contemperare, aliaq; cum ipſo ponere. At quæramus adhuc alia quædam, quæ nec ordinem, nec æquabilitatem habere putamus: & vilia ignobiliaq; ſunt, & poſſumus hoc aſſequi: cum natura rerum neceſſario ita ſe habeat: vt mundus eiusq; gubernatio ſit ſimilis gubernationi ciuitatis; in qua regium mandatum procedit meliori quo poteſt modo. nam quemadmodum, ſi quando mandatur aliquid hominibus huiuſce ciuitatis, non procedit regium mandatum æqualiter ſecundum quanq; ipſius ciuitatis partium; nec omnes pari modo ſubeunt mandatum illud: nam alios primates ſtatuit; alios primatibus præficit; alios ipſis ſeruire iubet; alios vilioribus operationibus. quibus adminiſtratio expletur, addicet: alij propius accedunt ad regem in ordine regio; alij longius diſtant: ſic quoque mundus, eiuſque procuratio ciuitati ſimilis eſt, in qua rex vnus regnat, & eius partes inuicem ſunt ordinatæ, atque æquabilitatem habent, ſic animalia ſunt. ſic plantæ, & hoc oſtēdit omnium generationem eſſe ob vnam cauſam, quoniam omnia appetunt. hoc modo eſſe, quo nunc exiſtunt. nam appetunt, & deſiderant, id quod vere eſt. & hoc vnum imitantur; & peculiariter quærunt, & ad id accedunt, nec vllum eorum, quæ ſunt, in plura diuidi vellet: nec exire ab eo, quod nunc eſt ad contrarium, & id quoque quod ex multis generatur quærit vnum; & ad vnum accedit. Ita ciuitas cum multitudo ſit ad vnum intendit, & exercitus ad id intendit, quod videtur duci, & conuentus ad principem conuertit animum, ſic etiam artis operatio ſe habet in his quæ ex multis componuntur: cuiuſmodi ſunt domus, & nauis. Nam vtraq; harum, dum efficitur, in hoc eſſe habet, quod plura ſunt vnum appetentia. Rex verò appetit multos homines in vnum congregare. Nec latere debet, neminem antiquorum quicquam opportunum aſſeueraſſe de primo principio quod quidē verè primum eſt; ſed manere duntaxat in principio materiæ permixto. omnes enim ex contrariis omnia faciunt. At duplici modo peccant, non omnium nāque eſt generatio, nam quæ in mundo excelſa ſunt, generationem non habent, nec omnium generatio ex contrariis eſt. Pati nāque à ſe mutuò contraria nequeunt. ſed, vt ſæpe diximus, requiritur materia. At quidam alterum contrariorum materiam faciūt, vt hi qui in æquale æquali, aut vni multa, ſupponunt. id autem ea ratione ſoluitur; propterea quòd materies, quæ vna eſt, minime contraria eſt his, quę generantur ex ea. & nouatur forma rerum ex priuatione inexiſtente ei, & ex eo quod informe eſt. Alij vero principia diuidunt in bonum atq; malum; & malum in materia ponunt; bonum autem in forma: materiam verò omnibus ſubiectam. ponunt; & ipſum bonum primam formam dicunt. nam notum eſt apud omnes bo-

num esse formam primi principij, alij bonum primum principium dixere: at quonam pacto sit principium non explicant; nunquid vt finis; an vt id quod mouet; an vt forma. Absurde, & Empedocles censet. bonum enim ipsum concordiam ponit esse: hoc autem principium est, & vt mouens (congregat enim) &, vt sonant eius verba, est vt materies. est enim pars, eius, quod congrestum est. Quòd si eidem accidit, vt sit principium, vt mouens, atque materies: tamen ipsum esse non erit idem. Vero igitur eorum concordia erit? Absurdum est etiam censere, discordiam non subire corruptionem; ita vt hæc natura sit ipsius necessarij natura. Anaxagoras autem ipsum bonũ principium, vt mouens esse ponebat, mens enim apud ipsum mouet. quare aliud quodpiam erit. nam idem est, quod mouet, & ipsum primum. nec potest alicuius gratia mouere, verum ita res se habet, vt nos dicemus. Est enim facultas ipsa medendi principium quoddam: sed gratia sanitatis mouet. sanitas quoque quodammodo est facultas medendi. nihil igitur prohibet primum mouere, & sui ipsi gratia mouere, vt ostendunt rationes appositę. sed adhuc absurdius quàm Anaxagoras dicunt ij; qui idem putauere principium boni, & mali; ita vt intellectus sit mouens; & materia sit obediens, & consentiens ipsi intellectui. A' quonam igitur malum proueniet? an dicet malum prouenire ab imbecillitate materiæ, & à priuatione ipsi inhærente vti nos diximus: & omnes qui posuerunt principia contraria; vt est raritas, & densitas: cõgregatio, & disgregatio. Nam, vt videtur ex rectitudine, & ordine mouentis, impossibile est quin contraria faciat. nulla enim materia sufficit ad generãda ea, quæ nascuntur ex ipsa. sed eget causa mouente, quæ quidem formet, & in ordinem redigat res illas. Redarguimus quoque in naturalis scientia falsitatem opinantium omnia ex elemento fieri. nequeunt enim causam dare cur alia generationi obnoxia sint, alia vero non. nos vero cognoscimus principia corporum cœlestium; & scimus ipsa non conuenire in materia cum his. quæ circa terram inhabitant. sed stellæ, & earum motus, causæ sunt efficientes, motrices materiæ; à qua generatio prouenit, & magis hoc præstant erraticæ stellæ, & inter eas magis sol, & luna, hasq; dicendum est, aut materiam prorsus non habere, aut diuersam materiam habere à materia generabilium, & corruptibilium; vt intellectus mouens corpus non habet eandem materiam, quam corpus, præterea nemo dixit cur generatio, & corruptio semper sit, perinde atque nos: qui diximus, ex accessu, & recessu cœlestium corporum hoc fieri, opinantes causam continuantem variam, pendere à causa, vno, & eodem modo semper se habente. Adhuc quidam, intelligibilia transcendentes, atque apud omnes nota, aiunt: ea quæ sunt ex eo, quod non est, fieri; quidam vero ex ente actu. indiuisibilia nãque Anaxagoræ, & Empedoclis elementa ea, quæ sunt, ex eo, quod actu est, fieri cogunt. quod quidem absurdum est, absurdius autem putant qui plura principia ponunt, siue tria sint. Siue quatuor: siue duo, potest, enim, quispiam dicere, cur principia hoc tantum numero sunt, & non alio? quod si aliqua agunt: & alia patiuntur; quis congregauit ea, simulq; iunxit: & consentientia fecit? fateri ergo cogitur nobilius principium, quàm ipsa sint reperiri, quod si duo tantum principia sint: vt Deus: & materia: aut densitudo, & raritas: id quoque accidit: nequeunt enim ex se ipsis congregari, & consentire: vt vnum mutationem subeat, & aliud agat. Nos vero: quia posuimus principium primum materiæ impermixtum, & incorporeum mouens vt amatum. & desideratum (ita enim cœlestia corpora mouet) & ortum, atque interitum ex

corporibus

corporibus cœlestibus nasci scimus; ex hac dubitatione euadimus. nam materiam primam non ponimus æqualem dignitate esse: ne dum præcedere primum principium. nec iungimus immediate vltimam naturam primæ naturæ. At materiam vt obsequentem ponimus. corpora verò cœlestia moueri propter primam causam, vt ei adsimilentur, posuimusq; locum, qui circa terram est, necessariò esse medium, nam impossibile est id, quod circulo cietur non habere quidpiam natura stabile, & quoniam quæ in medio sunt non eadem numero semper manere possunt. alio modo perficiuntnr: perpetuando scilicet generationem, & corruptionem. vt materia sequatur primam causam. Nec solum ex hoc diluitur opinio ponentium plura principia corporea: aut Deum & materiam principia esse: sed & ponentium formas: nam coacti sunt aliud præstantius principium concedere à quo producantur: quodque ea cum generabilibus, ac corruptibilibus componat, & omnes qui in his sunt sententijs, potissimumq; ij, qui ex contrarijs res generant, coguntur ponere principium aliud his oppositum. Nam contraria opponuntur calidum frigido: & rarum denso: & vnum pluribus, nos soli immunes huius sumus absurdi, quoniam nihil contrarium primæ causæ ponimus, nam omnia, quæ contraria sunt, sunt materiæ commixta, inuicemq; transmutantur: quia potentia sunt. nec tantum decet ipsos, ponere primum principium, esse primum, ponentes nimirum cum eo aliud principium, æque primum, atque æque nobile, sed etiam ex hoc sequitur, si alicuius scientia habeatur, hanc scientiam habere aliam scientiam contrariam: quæ quidem est scientia rerum, quæ his contrariantur, nam vt calidum contrariatur frigido: sic quoque sensus frigidi contrariatur sensui. Caloris, species enim sensibilium imprimuntur in sensibus, at ignoratio scientiæ contraria est: non alia scientia, summa ratio, si non sit alia substantia præter res sensiles: iisq; præstantior: nunquam poterit inueniri primum principium (nam omnia sensibilia sunt composita) neque ordo, neque generatio, neque etiam corpora cœlestia à principio necessario penderent, sed quocunque principio corporeo dato, sequeretur dari aliud, vt Theologis contingit, qui generant ea, quæ sunt ex inani: necessario enim quærere debent essentiam inanis: vtque naturalibus accidit, qui ponebant rerum generationem ex aere, aut ex aqua, aer autem, & aqua corpora composita sunt: non simplicissima, si vero principium aliud dari contendatur, materiæ expers, & intelligibile: sed asseueretur, quod sint formæ vel numeri, tunc principia otiosa erunt. nam formæ sunt exemplaria, sed non mouetur ferrum ad exemplar: neque lapis: nisi ab arte moueatur, præterea in aliud absurdum incurrunt ij, qui numeros ponunt. nam quomodo magnitudo, & continuum ex discreto emergere potest? quod quidem sequeretur si principia numeros esse poneremus, nec solum opus est mouente causa: sed & causa formam præbente, nec putandum est ipsos formam generare, quoniam nequit discreta natura producere formam continuæ naturæ, atque species eius. Et, vt summatim dicam, inconueniens est dare principia contraria, nam, vbicunq; fuerit contrarietas: ibi est etiam potentia eminus eam consequens, nullum ergo eorum quæ sunt maneret, procul igitur sit contrarietas à principio, & hoc quidem iam satis refutauimus, & ostendimus quo medio id fieri possit. vniuersalis ergo dubitatio, quæ omnibus opponitur. & maxime his qui plura principia ponunt talis sit. Reliquum est vt quæramus quomodo ex vno plura fiant, hoc quidem in numeris inuenitur, nam forma trini ex vno fit, sit & quatuor, & decem & quæ & quæcunque fuerit numerorum coniunctio, plurificatio

ficatio enim eorum videt formam vnitatis, sic etiam anima, & corpus nisi haberent principium vnum: non haberent actionem vnam: nec quicquam ex ijs simul fieret, nec conflabitur vnum: siue fuerit planta: siue animal: nisi vnum sit principium singulare: quatenus vnum est; non quatenus multa. & nullus antiquorum locutus est de hoc, nec aliter dici potest, quàm diximus nos, quod prima natura mouens, munda, syncera, partium expers, materiæ immunis, verè vna, mouet omnia ordinate, indeficienti, sempiternoq; motu: quæ quidem omnia ad hanc vnam intendunt: ordinemq; ab ipsa habent, & vnitas eius posuit mundum vnum esse, & quoduis animal in mundo existens ob eam vnum esse, finis enim in quacunque re est, quatenus ea est vna. qui vero numerum Mathematicum primum principium statuere, ac demum ex eo, & superficit corpus confecerunt, aduentitia profecto faciunt omnia entia, nihil enim alia ad alia siue sint, siue non sint conferre videntur, qui verò hoc dicit concedit vniuersi substantiam aduentitiam esse: exceptis iis, quæ à principijs numerorum, & à principijs continuorum corporum comprehenduntur: & principijs præterea horum corporum, & principijs formarum, sed nihil eorum quæ sunt male gubernatur, nec principium multitudo bona est. FINIS.

SERIES CHARTARVM

A B C D.

Omnes sunt Duerniones.



VENETIIS
Apud Hieronymum Scotum.
M.D.LVIII.